S. TH. SOEMMERRING

DE

MORBIS VASORUM ABSORBENTIUM CORPORIS HUMANI

SIVE

DISSERTATIONIS QUAE PRAEMIUM RETULIT SOCIETATIS RHENO-TRAIECTINAE ANNO M. DCC. LXXXXIV.

PARS PATHOLOGICA.

ACCEDIT

INDEX SCRIPTORUM DE SYSTEMATE ABSORBENTE.

TRAIECTI AD MOENUM
SUMTIBUS VARRENTRAPPII ET WENNERI
1795.

PRAEFATIO.

In tractandis eis, quae ad Pathologiam systematis absorbentis corporis nostri faciunt, ita versabor, ut morbos singulatim in medium proferam, ad quos tum aliorum tum meae illustrationes, e doctrina recentiori et uberiori systematis absorbentis depromtae, penitius cognoscendos meliusque curandos aliquid contulerunt; ex illis ergo, quae inprimis nostra aetate de morbis vasorum absorbentium tum e vivorum contemplatione et narratione, tum démortuorum artificiosa sectione, tum diligenti et considerata ratiocinatione innotuerunt, ea selegi, quae proxime ad Medicinam rationalem exercendam facere videbantur. Omnia autem paucis exemplis, neque speculatione neque hypothesi, sed mera observatione natis, quantum potero, commonstrabo.

Hac enim methodo unum quodvis dogma eo facilius inveniri et vel emendari, vel ulterius illustrari, vel omnino novis additamentis augeri poterit.

Generatim autem notandum erit, prouti in omnibus fere morbis Arteriae, Venae et Nervi plus minusve actuosi animadvertuntur, ita ut nullus fere morbus cogitari queat, in quo non Arteriae et Venae directe vel indirecte patiuntur, in quibus non Nervi vel mediate vel immediate afficiuntur, ita vix ullus morbus cogitari potest, in quo vasorum absorbentium sytema, nisi primas partes saltem secundas teneat agatque.

Vasorum absorbentium genus enim corpori sano commodissimum, plurimorum morborum verus fons ad intelligendas, cohibendas, demonſtrandas, vel removendas varias variarum adfectionum caussas, uberrimam largitur messem.

Et profecto verisimile est, ut cum CELSO loquar, et HIPPOCRATEM et ERASISTRATUM (BOERHAAVIUM et HOFMANNUM), et quicunque alii, non contenti febres et ulcera agitando, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo quidem Medicos fuisse, verum ideo quoque maiores Medicos exstitisse.

Systematis autem absorbentis morbos in quinque Classes distribuit Cl. CRUIKSHANK *a)*.

a) Anatomy of the absorbent Vessels, p. 111.

Ad *Primam* scilicet retulit: *Morbos a non resorptis sanis et innoxiis fluidis et solidis;* quorsum pertinent: Defectus absorptionis Chyli, Obstructio glandularum mesenterii (Tabes sic dicta mesenterica), Hydrops, Incrassatio ossium.

Ad *Secundam*: *Morbos a resorptione nimia solidorum et fluidorum sanorum;* quorsum pertinent: Absorptio Bilis e vesicula fellea calculo obstructa, Absorptio Lactis in Puerperis (Depot du Lait), Absorptio Urinae secretae, Mollities ossium.

Ad *Tertiam*: *Morbos a resorptione fluidorum morbidorum,* v. c. Variolas, Syphilidem, Rabiem caninam, Febres ab Ichore cancroso, a pure absorpto.

Ad *Quartam*: *Morbos a resorptione solidorum morbidorum,* v. c. Scrophulas, Ventriculi erosionem, Erosionem ipsius Encephali.

Ad *Quintam*: *Morbos a resorptione Substantiarum irritantium in corpore humano non generatarum,* v. c. Absorptionem Spiritus Terebinthinae, Cantharidum, Mercurii, Arsenici, Pestilentiae, Virus venerei.

Minutius inquirendo tertiam inter et quintam Classem non sat notabile discrimen invenio, virus enim Rabiem caninam excitans in corpore humano non paratur, et vice versa Pestis virus in corpore nostro paratur, ut obsidio *Bredana* luculenter docuit.

Clar. NUDOW *b*) vero vitia Systematis absorbentis in *tres* Classes distribuit:

Ad *Primam Classem* retulit: Cohaesionem et Qualitatem vitiatam.

Ad *Secundam:* Quantitatem vitiatam.

Ad *Tertiam:* Motum humorum lymphaticorum vitiatum, v. c. inordinatum et retrogradum.

Hinc etiam ISENFLAMMIO *c*) non absonum videtur, torporem et atoniam Systematis absorbentis accusare in pluribus stagnationibus lymphaticis — neque prorsus inconcinnum, de Asphyxia eiusdem Systematis in variis morbis explicatu difficilibus loqui.

Morbosas affectiones systematis absorbentis Cl. MAANEN distinguit in *Communes* et *Proprias.*

Communes Affectiones considerat in quantum hocce Systema construitur.

1) *Per partes solidas* hinc eius abundantia oritur rigiditas, defectu autem debilitas.

2) *Per partes solidas continentes.* Hinc nimis amplo hoc systemate oritur ευρυσμα, αναστομωσις, διαπηδησις,

b) In Aphorismis ueber die Erkenntniſs der Menſchen Natur. Riga 1790. p, 59. et 60.

c) I. CH. ISENFLAMM Dissertatio de Absorptione sana, Erlangae 1791. Nota ad §. 19.

διαιρεσις: nimis angusto vero εμφραξις, ϛενοχορια, θλιψις ϛυνιζεσις συμφυσις.

3) *Per Partes solidas instrumentarias* huc pertinent: continui solutio, et connectio excedens.

Proprias Affectiones considerat in quantum.

Vis contractilis huius systematis peccat: excessu eius plethora, polychylia cacochylia, contractio et tandem induratio vasorum oritur; defectu eius, corpus nutrimento privatur, et lymphae crassities, obstructio vasorum absorbentium, et motus lymphae inversus oritur.

Vita propria huius systematis peccat: excessu eius oritur cacochymia, concretio viscerum inter se, ancylosis; defectu eius oritur extabescentia partium, fluxus coeliacus, icterus, obesitas, hydrops, rachitis.

Vis assimilatrix peccat: excessu eius oritur densitas et coagulabilitas lymphae; defectu eius oritur, cruditas humorum, rachitis, lues venerea, scrophulae.

Nisus formativus peccat et vitiosas partium regenerationes infert.

Medicis autem eruditis, non tironibus scribens, non solum praecipua Systematis absorbentis dogmata physiologica cognita suppono, sed etiam ne nimia prolixitate taedium eis parerem, studio omisi Morborum Definitiones, Diagnoses, Symptomata, Caussas et Curationes usitatas.

CONSPECTUS
RERUM ORDINE SYSTEMATICO EXPOSITUS.

CONSPECTUS
RERUM ORDINE ALPHABETICO EXPOSITUS.

INFLAMMATIO.

§. I.

In quavis Inflammatione a Causa externa vel interna oborta, etiam Vasorum absorbentium Systema praeter sanguiferorum laborare, locumque inflammatum minus resorptioni aptum reddi *a*), verosimile videtur; dum enim tali in loco sanguis vel vasa sua distendat, vel extra vasa adsit, absorbentia vasa ab eo sanguine pressa et occlusa officio omnino fungi nequeunt, vel etiam salutari profecto naturae conamine materiam nimis acrem recipere respuunt, donec sero vel pure admixto ista acrimonia minuatur.

Quodsi autem statuas, musculorum motu promoveri Lymphae fluxum, cessante per inflammationem ob dolorem musculorum mobilitate et lymphae cursum ibi turbari, necessarium est.

a) Ingeniose *John Hunter* locum inflammatum „*a bad absorbent surface*" vocat. — De hac absorptione impedita eleganter egit *Haase* Pag. 28.

Th. Davison sila viru varioloso imbuta brachio pueruli imponebat, quae inflammationem et suppurationem excitabant absque infectione, quam tamen postea experiebatur idem puerulus manifesto argumento, superficiem inflammatam male vel prorsus non absorbere. London Medical Journal. Volumine decimo, 1789. Articulo secundo.

Nihilominus tamen in quavis fere inflammatione plus minusve materiae morbidae in sanguinem absque sensibili noxa vehi, quotidiana experientia docet; et in me ipso saepius expertus sum.

Sic quoties in partibus inflammatis sanguis effusus deprehenditur, toties etiam absorbentia vasa harum partium lympha rubra et densiori turgent, et glandulae eorum vasorum intensius rubent; Si vero sanguis non effusus, serum tantum densius, levi colore luteo tinctum vasa absorbentia replet *b*).

In puerperis die tertia plerumque vasa absorbentia Mammarum ad glandulas axillares tendentes a lacte inflammantur, intumescunt et tactu facile dignoscuntur *c*).

Ad inflammationis autem sic dictam discussionem vel resolutionem vasa absorbentia evidenter plurimum conferre, saepenumero vidi *d*); scilicet vasa absorbentia colore sanguineo notata, sub cute ludentia, in loco inflammato orta.

Sic in infantibus dentitione difficili laborantibus ob inflammationem gingivarum et processuum alveolarium tument glandulae colli *e*).

b) *Mascagni.* Pag. 21.

c) *Cruikshank* in editione altera operis sui.

d) Hinc *J. Gardiner.* „The Lymphatics are the most powerfull agents in terminating Inflammations by Resolution" — on the Gout London 1792. Pag. 223.

e) *Cruikshank* Anatomy of the absorbent Vessels. Pag. 125. et 131. — Confer et Paragraphum nostram de Carie.

Sic a vulneribus Natium et Haemorrhoidibus sic dictis inflammatis tument glandulae inguinales *f*).

Sic in inflammatione Pedum prope tarsum glandulas inguinales tumentes et inflammatas in se ipso observavit VAN DEN BOSCH *g*).

Quin ipsa vasa absorbentia et eorum glandulas *h*), vel acritate fluidorum in nostro corpore generatorum, vel miasmate morboso quodam, vel vulneratione *i*), vel venenis, inflammari posse, inficiandum non est, quum irritabilitate gaudeant, et arteriolis et venis manifeste dotata appareant. Striarum rubrarum adinstar tunc subcutanei trunci absorbentium saepe oculis cernuntur, ut variis locis retuli. Sola enim irritatione rubent, inflammantur, chordarum adinstar tenduntur, et tactu sentiuntur. Simulac enim inflammantur vasa absorbentia inflammatio in telam cellulosam circumiacentem transit, eaque de causa facilius tactu dignoscuntur; pari modo glandularum inflammatio ut notissimum est, in telam cellulosam circumiacentem transit *k*).

f) *Cruikshank.* Pag. 118.

g) Theoretische und practische Bemerkungen ueber das Muskelvermoegen der Haargefaesse. Muenster 1786. Pag. 60.

h) *Cruikshank.* Pag. 26. — *Assalini* loco citato tres casus fusius narrat.

i) Cfr. §. de vulneribus vasorum absorbentum.

k) *J. Abernetty* in egregiis suis surgical et physiological Observations, Lond. 1793. p. 179.

A laesione in cute frontis leviori, simulac inflammatio oboriebatur, Vasa absorbentia striarum rubrarum adinstar ad angulum Oculi internum tendentia animadverti l). — A laesione in Collo leviori vasa absorbentia pari modo ad glandulas subclaviculares tendentia. — A laesione in Pectore leviori vasa absorbentia ad glandulas axillares. — A laesione in Abdomine leviori pari modo ad glandulas inguinales vasa absorbentia tendentia vidi. — A laesione digiti minimi leviori vasa absorbentia dorsi manus. — A laesione Pollicis vasa absorbentia Antibrachii laete rubentia pluries vidi. — Et quis non a panaritio glandulas axillares tumidas vidit?

Interdum etiam inflammatio vasorum absorbentium non solum versus cor ascendit, sed etiam infra locum laesum descendit.

1) Vidit pari modo post grave capitis vulnus remanentes in collo et prope aures glandularum tumescentias, facile tamen sanabiles, *Kortum*, loco citato, Tomo primo, Pag. 278.

ERYSIPELAS.

§. II.

Etiam inflammatione erysipelatosa Vasa sorbentia corripi, detumescentes partes albescere, non atras, ut alias partes, fieri, saepius vidi *a*).

Liceat loquentem introducere Burserium de Kanilfeld *b*). Illud etiam, inquit, me-memoria probe tenendum est, quod crebris ex observationibus constitit, si erysipelas artubus inferioribus incubiturum sit, inguinis et femoris glandulas conglobatas, vasis cruralibus adsitas, *antequam* se exserat, leviter dolere atque intumescere consuevisse; axillares vero ac cervicales, si brachiis aut superioribus locis immineat.

Notum perspectumque omnibus esse puto, cutis dolori, lacerationi, excoriationi, rubori, inflammationi, ulceribus, pustulis, aliisque cutaneis morbis saepenumero supervenire tumores glandularum lymphaticarum, quae membro adfecto et laboranti respondent, superiusque positae sunt. Qui venarum lymphaticarum initium

a) In Inflammatione erysipelatosa inter scapulas, glandulas pone processum mastoideum ossis temporum sitas tumentes vidit. Cruikshank in edit. altera.

b) Institutiones medico-practicae Volumine secundo Capite de Erysipelate. §. 22.

et progressum noscunt, paene omnes sibi persuadent, puris, ichoris aut alius noxii humoris aliquid a Venis lymphaticis absorberi, deferrique ad glandulas conglobatas, ad quas progrediuntur, indeque has tumere ac dolere. Recte hi quidem Sed ubi glandulae prius tument ac dolent, quam humor ullus ab aliqua parte subpeditari possit; undenam earum tumorem ac dolorem deduxeris? An aliquid per arterias ad glandulas, antequam in cutem pellatur, defertur, quo ipsae intumescunt?

Minime gentium! sed a miasmate irritante, quod interdum vix percipitur nostris sensibus, prouti inprimis in Capite de Variolis videbimus, ubi eadem phaenomena adnotavi fusiusque exposui.

DEFATIGATIO CORPORIS.

§. III.

Partus labores, quinimo iter pedestre nimis protractum, tumores glandularum inguinalium excitant *a*); quod non mirandum; quippe in istis negotiis plantae pedum inflammantur, unde isti tumores oriuntur, prouti iam superius de inflammatione verba faciens adnotavi.

a) Bertrandi. *Von Geschwuelsten.*

DESQUAMATIO EPIDERMIDIS.

§. IV.

In facie manibusque, quae vestibus non teguntur epidermis secedit pariter ac in partibus quae vestimentorum frictione exponuntur.

Saepissime post morbos acutos epidermis secedit, dum scilicet vasa absorbentia illud quod inter cutim et epidermidem medium est, atque has partes secum invicem nectit, absorbendo destruunt, quo destructo nexu non aliter fieri potest, quin epidermidis secessus seu desquamatio locum habeat.

Simili ergo modo ac in necroseos et sic dictae exfoliationis ossium negotio natura procedit *a*).

a) Petr. *Jac. van Maanen* de Absorbtione solidorum. L. B. 1790. Sect. 3.

SUPPURATIO.

§. V.

Quotidie videmus, in supurationibus, quovis corporis nostri loco et quovis modo ortis *a*), Vasa absorbentia pus deferre ad glandulas inter eum locum et cor sitas, glandularumque istarum tumorem excitare.

Adeo luculenter hoc nonnunquam reperitur, ut vasa pure ipso vel puris tenuiore *b*) parte turgida adinstar funium vel chordarum nodosarum tactu explorari, vel ipsis oculis *c*) sub cute ludentia cerni, vel ab aegris dolore percipi, vel demum cultro post mortem pure referta aperte demonstrari possunt.

Ut enim, quae de Variolis, Empyemate, Carcinomatibus, aliisque Morbis speciatim attuli, taceam, in Cerebri exulceratione *d*), pro-

a) In locis exulceratis vasa absorbentia adinstar bombycis rodentis agere opinatur *John Hunter* on the Venereal Disease. London 1786.

b) *S. G. Brugmanns* Dissertatio de Puogenia. Groningae 1785. pluribus locis asserit, tenuiorem puris partem absorberi a vasis sorbentibus. — Non est, quod moneam, quod reliquum puris est, exinde spissius reddi.

c) Coram video feminam, in qua ab ulcere scrophuloso orientia Vasa sorbentia, non modo dolore et tactu ad instar funiculorum nodosorum, sed etiam ob rubedinem oculis manifesto cernuntur.

d) Notissimum est Regis Angliae Georgii Tertii exemplum, qui oborto ulcere in cerebro glandularum iugularium demum abscessum felicissimo eventu expertus est.

uti fere in omni morbo Encephali *e*), in Carcinomate Oculi, in abscessu Buccarum, in Carcinomate Labii inferioris, in Carcinomate Linguae, in ulceribus Faucium, in ulceribus Oesophagi, in ulceribus Laryngis saepissime vidi, glandulas in Colli lateribus sitas insigniter tumentes.

Sic in me ipso pluries observavi, quoties fonticulus, in medio Collo pone Musculum Cleidomastoideum situs, accedente irritatione et inflammatione paulo maiori, pus copiosius funderet, glandulas sub clavicula eius lateris sitas insigniter dolere et tumere; manifesto argumento: pus a vasis absorbentibus ad glandulas istas revera delatum fuisse.

In exulcerationibus Mammae quibuscunque glandulas axillares tumere, vulgo constat.

A pure inter phalangem primam et secundam digiti indicis, in latere volari haerente, glandulam in medio brachio *f*) tumentem vidi.

In me ipso, dum Infantem, pustulis nodisque viridem materiem continentibus obsessum, lustrarem, pollicis vulnus, quod adustione neglecta ortum erat, sanescens recruduit, glandulasque axillares tumentes et dolentes reddidit *g*).

e) *Cruikshank.* Pag. 125.

f) Hanc glandulam delineat *Hewson.* Volumine secundo. Tab. VI. d. et *Mascagni.* 24. 25. 26.

g) Similia observavit *A. Brambilla*; scilicet: a laesione digiti indicis per costam cadaveris et resorpta

Et quis non glandularum axillarium tumorem a panaritio saepius observavit?

Eadem prorsus in extremitate inferiore contingunt. Quoties non glandulae inguinales a pure absorpto post amputationem Cruris vel Femoris tument *h*)? Quoties non glandulae inguinales a pure in abscessibus pedis absorpto tument?

Eiusmodi autem tumores glandularum, sponte iterum sanescente ulcere vel suppuratione cessante, evanescunt; immerito enim scirrhosae tales glandulae habentur. — Mentionem hic tantummodo fecisse sufficiat bubonum aliorumque abscessuum clausorum sponte vel artis ope resolutorum. Saepe saepius abscessus largam copiosamque suppurationem minitantes sponte evanescere mecum viderunt quam plurimi *i*).

Quocirca monendi mihi videntur Medici, ne eiusmodi glandularum tumores a pure bono et laudabili obortos pertimescant, et chirurgiam necessariam admovere vel omnino negligant *k*),

materia tetanum et exulcerationem glandulae axillaris. in Abhandlungen der K. K. Iosephinischen Militair-Academie zu Wien. Tomo Primo. Pag 90.

h) In homine, cui pes infra genu ablatus erat, post mortem tumidas glandulas, tum in femore tum iuxta vasa iliaca sitas invenit. — *William Hunter* Medical Commentaries. Pag. 58. Saepenumero inprimis in hoc bello gallico eadem vidi.

i) In glandulis post inflammationem inclusum pus resorberi testatur *Assalini*. Pag. 39.

k) Novi chirurgum illustrem, qui ex suppuratione pedis ortos glandularum inguinalium tumores adeo pertimesce-

vel aegros glandularum istarum exstirpatione supervacanea crucient.

Plus una vice Carcinoma Mammae cultro feliciter sanavi relictis glandulis axillaribus non parum tumidis *l*).

Eadem prorsus et in suppurationibus partium internarum animadvertuntur. — Vidi a pure in cavo Thoracis sinistro stagnante glandulas intercostales et sternales eiusdem lateris tumidas *m*). — Vidi a pure in ipsa Pulmonum substantia contento glandulas bronchiales absorbentes tumidas *n*). — In Vasis absorbentibus pulmonalibus Phthisicorum pus verum inventum est *o*).

Sic glandulae circa Hepar sitae, alias vix conspicuae, ingentes visae sunt. — Vidi ab exul-

bat, ut eam ob causam amputationem instituere renueret. — Moriebatur homo testiculi cancro, quem cultro auferre renuebant chirurgi ob tumorem funiculi spermatici, qui sanus post mortem reperiebatur. *Assalini* Pag. 66.

l) Pari modo et *Louis* teste *Assalini* Pag. 63. post ablationem mammae carcinomatosae glandulas axillares tumidas cultro intactas derelinquebat fausto cum successu.

Dessault teste eodem *Assalini* Pag. 62. ob ulcus cacoëthes audacter brachium amputavit, quamvis glandulae axillares tumerent, persuasum habens, eos tumores non nisi a pure resorpto ortos fuisse; nec prosper eventus eum fefellit.

m) In Capite de Empyemate fusius casum narravi.

n) *J. Bleuland.* Icon Hepatis, etc. Traiecti ad Rhenum 1789. Pag. 6.

o) Confer Caput de Phthisi Pulmonum.

cerato ovario dextro vasa sorbentia alae vespertilionum dextrae pure referta *p*).

Nullus etiam dubito, quin analogo partium externarum modo saepenumero abscessus partium internarum pure resorpto per vasa absorbentia nostra sanentur.

p) Viderunt mecum SCHUMLANSKI et WEIDMANN.

GANGRAENA ET SPHACELUS.

§. VI.

Nata gangraena vasa absorbentia ad agendum compelluntur; absorbtio incipit et absorbentur, quidem illae vivae partes quae mortuis directe adiacent; eschara hinc separatur et decidit *a*).

a) *P. G. van* MAANEN de absorptione solidorum. L. B. 1794. p. 84.

FEBRES INTERMITTENTES.

§. VII.

Miasma febrile per Vasa absorbentia Corpus intrare, profecto verosimillimum *a*).

Post *Febres intermittentes*, inprimis autumnales, vel subpressas vel male curatas, saepissime infarctus Viscerum abdominalium, et inprimis quoque glandularum mesentericarum obstructiones, ventris tumorem efficientes, remanere, inter omnes constat.

Generatim observat KORTUM *b*), e quo haec mutuavimus, morbis, ex catarrhali et gastrico charactere complicatis, facillime glandularum tumores adiungi.

a) *TH. EVANS.* Dissertatio Observationes de Febre Edinburgi 1790. Sedem febrium intermittentium in glandulis absorbentibus haerere posse, autumat *BASILEWITSCH*; et ab hoc miasmate glandulas inguinales in tumorem tolli.

b) De Vitio scrofuloso Tomo Primo p. 260. et 262.

FEBRIS CARCERUM
ET
NOSODOCHIORUM.

§. VIII.

Expressis verbis monuerunt Viri clarissimi *a*), in ista febre non parotides glandulas salivales, sed solummodo glandulas sorbentes vicinas in inflammationem et suppurationem rapi, interdum absque ulla praevia indispositione.

Quis non videt, quanti momenti sit ista adnotatio, tam insigne discrimen inter sedem veram et supposititiam morbi demonstrans.

a) Nominasse sufficiat *J. Pringle.* On the Diseases of an Army. Parte tertia, Capite septimo. Pag. 298.

PESTILENTIA.

§. IX.

Horrendum Pestilentiae verae Venenum per Vasa absorbentia corpus invadere, bubones, quae nihil aliud sunt, nisi glandulae lymphaticae tumidae, utpote ab omnibus, qui dirum hunc morbum viderunt, medicis concessum huius Mali primum et princeps fere symptoma demonstrant.

Hinc etiam deficiente bubone, qui post aliquot demum dies oriri solet, plerumque tamen dolor in pube vel in axillis observatur *a*).

Hinc non mirum, saepius glandulas faciei, colli et axillarum, quam extremitatum inferiorum et inguinis in bubones verti; quippe partes, a quibus vasa absorbentia harum partium oriuntur, contactui aëris corrupti, inquinati et contaminati, aliisque rebus eo veneno contaminatis magis exponuntur.

Vibices rarius apparentes, suspicor, nihil aliud, nisi Plexus Vasorum absorbentium rubefactos, esse.

Hinc liquet, cur periculosissimum sit, si bubones in ακμη febris evanescunt.

Post contactum autem istud venenum corpus ingredi, Medicus, qui diu Constantino-

a) Joannes Martinus Minderer. Dissertatio de Peste Jenae 1789.

poli fuerat, CRUIKSHANKIO *b*) narravit, exemplaque ab HOWARDIO *c*) allata demonstrant.

Non, nisi infectione, contagium pestilentiale communicari cum hominibus, etiam testatur PATRICK RUSSEL *d*), qui Aleppo medicinam exercuit.

Merito hinc concludit ANTONIUS de HAËN *e*), qui profecto doctissime de hoc morbo egit, Pestis exstare nullam eiusmodi definitionem, quae datum morbum pestilentem aut esse aut non esse determinet, quamdiu idem neque tumores (i. e. bubones) neque exanthemata generet.

Non ignoro, Clariss. WILSON *f*) asseruisse, ob nimiam acritatem Venenum pestiferum a Vasis sorbentibus recipi non posse, et alios *g*) etiam negasse, Pestem contagiosam esse.

Facile tamen refutatur ista opinio per institutam insitionem cum miasmate pestilentiali *h*), quam-

b) Anatomy of the absorbent Vessels. Pag. 113. haec fusius adhuc in editione altera explicat.

c) Nachricht von den vorzueglichsten Krankenhaeusern und Besthaeusern in Europa, mit Zusaetzen von *CHRISTIAN FRIDRICH LUDWIG*. Leipzig 1791.

d) Treatise of the Plague. London 1791. 4.

e) Confer Autores, quos ex ingenti numero Scriptorum de hoc morbo nominavit *ANTONIUS DE HAËN* in Rationis medendi Tomo decimo quarto, et *BURSERIUS DE KANILFELD* Tomo secundo § 455. et *BALDINGER* Magazin fuer Aerzte. Tomo duodecimo.

f) Observations relative to the Influence of Climate. p. 163.

g) *CHICOINEAU*, *SOULIER*, *VERNEY* et *PYE*.

h) Acta medica Berolinensia, Decas secunda, Volumen secundum *WESPRENNI* Tentamen de Peste inoculanda, Londini 1755. — *N. D. SAMOILOWITZ* Lettre sur les

quamvis non ignorem, MAGKENZIE observasse, non semel, sed vel duodecima vice Peste correptum fuisse eundem hominem.

Secundum experimenta, a DEIDIER *i*) in Peste Masiliensi 1721. instituta, Venenum pestilentiale ore sumptum non noxium fuit, periculosum autem sanguini admixtum, prouti iamiam indicavi.

Neque improbabile, subtilissimum Pestis venenum putrefaciens omnia, destructis minimis Vasis, tam subitam mortem inferre *k*). — Partem enim Corporis, quam inquinat, subito destruit, anthracemque excitat *l*).

Hinc fuga aut omni commercio cum alio sublato Pestis evitatur.

Hinc obvelatione et inunctione cum oleo *m*) forsan praecaveri posse, non inprobabile videtur; cum experimentis SAMOILOWITZII constet, ipsum pus peste laborantium cuti per linteum carptum adplicatum, sufficere ad morbum excitandum.

Experiences de frictions glaciales pour la guerison de la Peste. Paris 1781. — Eiusdem Memoire sur l'Inoculation de la Peste, à Strasbourg 1781.

i) Philosophical Transactions abridged. Vol. VII. Pag. 3. 165. et 168.

k) *G. van Swieten* Commentaria in *Boerhaave*. Tomo primo, p. 124.

l) *Van Swieten* l. c. Tomo primo, Pag. 748.

m) *Cruikshank* Anatomy of the absorbent Vessels. Pag 114. *in* Versione germanica p. 109. — *Assalini* in editione gallica Pag. 137.

Hinc remedia antiseptica topica non contemnenda, v. c. Acetum, Camphora, Acidum minerale, Glacies, Alcali causticum dilutum.

Quae circa Anthraces monenda essent, potius ad Gangraenam et Sphacelum pertinent.

Peragi autem Anthracis separationem ope vasorum absorbentium non est, quod dubitem; quum multoties etiam in me ipso cutis Sphacelo corruptam partem, verum Anthracem ergo, istis separari viderim a parte sana. Suppuratione enim oborta vasorum sorbentium truncos pure plenos; et tactu et dolore, quin imo ipsis oculis distincte animadverti.

Autore Eusebio Valli *n*) teste autopte illi qui secunda vice a pestilentia corripiuntur, vix aliud symptoma eius experiuntur quam tumorem glandulae absorbentis, minime periculosum.

n) Experiments on animal Electricity. London 1793 Pag. 287.

VARIOLAE.

§. X.

Virus variolosum per vasa absorbentia, nec ulla alia via *a*), corpus humanum ingredi, insitio vel inoculatio sic dicta huius morbi adeo luculenter demonstrat, ut ulterius ea de re omnino dubitari nequeat.

Virus variolosum enim, vel per digitos, vel in manu, vel iuxta inferiorem insertionem Musculi deltoidei, quavis Insitionis methodo adplicatum, saepissime glandulas axillares *b*), in Pede adplicatum glandulas inguinales *c*), dolentes reddit, in tumorem tollit, ponderis sensationem excitat, vel in ipsam suppurationem rapit *d*).

Neque dubium est, methodum Insitionis Sinensium, qua gossypium miasmate varioloso imbutum, naribus intruditur, glandularum iugularium dolorem excitare.

a) *Christophorus Ludovicus Hofmann.* Von den Pocken. Münster 1770. 8. cuius circa huius morbi historiam et curationem immortalia profecto sunt merita. — Eadem expressis verbis confirmat in Beantwortung der Einwürfe von *H. Unzer.* Münster 1781. §. 483.

b) *Idem Hofmann.* Von den Pocken, zweiter Theil. 1789. §. 175. et 456. — Eodem redeunt et verba *Nicolai Rosenstein* von Kinderkrankheiten. Goetting. 1774. Capite decimo tertio. Pag. 266.

c) *C. L. Hofmann.* Loco citato. §. 152. Pag. 69.

d) *C. L. Hofmann.* Loco citato. Tomo secundo. Pag. 459.

Dolor autem harum glandularum plerumque iam die tertio oritur, et ad diem sextum nonnunquam cum tumore augetur, ante ullum febris vel eruptionis Indicium, manifesto argumento: Virus variolosum per vasa absorbentia in has glandulas delatum earum dolorem et tumorem excitare.

Curatione rite adhibita, etiam ante ullam febrim iste dolor et tumor evanescere, prouti et omnino abesse solet, ut multoties in Infantibus et Adolescentulis, insitione a me instituta, observavi.

Recte hinc concluditur: Virus variolosum Corpus nostrum subiisse, simulac insitione administrata illae glandulae vel dolent vel intumescunt *e*), quas Virus variolosum transire debet, ut in sanguinem pervenire possit.

In glandulis ipsis vero doloris sedem haerere, nec tantummodo Nervos axillares consensualiter

e) Principes Medici in eo uno ore conveniunt; v. c. *Tissot.* Avis au peuple sur la santé. Quatrieme Edition. Paris 1770. — Versio germanica Mannhemii 1772. Pag. 586. — Certum esse signum asserit, neque se reminisci, unquam hunc dolorem glandulae adfuisse absque insequente eruptione Variolarum, quamquam non semper intumescant glandulae; quum vero intumescunt, certissime erumpunt Variolae.

Pari modo et *Petrus Camper* in Dissertatione de Emolumentis et optima methodo Insitionis Variolarum. Groningae 1774. a die tertio ad usque quintum hunc dolorem auctum vidit.

Manifeste, inquit *Isenflamm* de Absorptione morbosa §. 12. in variolis systema lymphaticum primum adfici constat.

dolere *f*), crederem; quum certum sit, plures ramulos transire glandulas, qui vel irritatione miasmatis variolosi irritati, vel a tumore, irritationis istius effectu, pressi dolent.

Hinc intelligitur hodie, cur vere dixerit Mead. „Iis, qui tumoribus glandularum ex tenaci lympha laborabant, morbum variolosum utilem fuisse.“ — Accedente enim novo et fortiori stimulo virus variolosi, lentor huius Systematis adeo tollebatur, ut inveteratae stases in glandulis depulsae evanescerent.

Adtrahi autem in corpus miasma variolosum etiam per aërem posse, ibique pulmonibus male affectis, glandulas bronchiales in tumorem, inflammationem et suppurationem vertere, vel in stomachum depelli cum cibis, et ea via corpus invadere, probabile videtur.

Idem miasma in cutis pustulis confectum vasa sorbentia pustulis eripiunt, iterumque massae sanguinis tradunt, ut demum per pulmones exhaletur.

Quodsi Miasma variolosum in sanguinem e pustulis per vasa absorbentia receptum, et ad glandulas delatum, diutius in glandulis haeret, in tumorem quinimo et suppurationem easdem vertit, morbo reliquo iam superato.

f) *Petrus Camper*, loco citato, p. 109. ita et *Coopmanns* in Neurologiae, prima editione. Ipsi autem hi Viri abrogarunt novissimis temporibus hanc opinionem; ut patet e nova editione Neurologiae-Franequerae 1789.

Quodsi Miasma variolosum in sanguinem per vasa absorbentia e pustulis receptum, *apto loco*, id est, per pulmones eliminatur, nimia quantitate peccat, Febrim sic dictam secundariam excitat *g*), quinimo vera peripneumonia necat.

Quodsi autem idem miasma variolosum, e pustulis in sanguinem receptum, *non apto loco* eliminatur, sed ad alia loca abeat, Nervos prehendit Convulsionibus mortiferis. *h*).

Suppurationem autem glandularum post Variolas melius cortice peruviano et similibus remediis, quam purgantibus et debilitantibus, sanari, experientia docuit — etiam, ni me omnia fallunt, adplicationem Mercurii topicam profuisse mihi visus sum.

Etiam Virus vel Miasma variolosum in loco ipso, id est, cute haerere vel parari, praeter alia

g) Consentientem mecum invenio *John Gardiner*, On the Gout, London 1792. Pag. 227. In the Small Pox the morbid matter is carried again into the Circulation and produces a secondary Fever — *Robert Walker* vero opinatur, non a resorpto pure oriri febrim secundariam, sed a materia morbida in sanguine retenta.

Minus recte vero intelligo, quae Cl. *Haase*, loco citato, Pag. 9. habet, scilicet: „Variolas superatas tumores glandularum Colli sequuntur, sine dubio fomes variolosus in contextu celluloso sub cute contentus per vasa absorbentia resorbetur, et ad glandulas defertur, unde morbo iamiam superato inflammatio et suppuratio non parum molestiae faciunt, quum vasa sanguifera ab obstructis lymphaticis irritantur et ad inflammationem evocantur.

h) *Dom. Cotunni.* De Sedibus Variolarum. Neapoli 1775. fere similia docet. §. 19.

et haec suadent: Novi Medicos non incelebres *i*), qui Variolis defunctorum corporum scrutatione insitionibusque occupati plus tertia vice in manibus a miasmate varioloso inquinatis, unius vel alterius pustulae perfecte variolosae eruptionem experti sunt. Pari modo nutrices infantibus variolosam faciem vel mammam admoventes pustulis iisdem locis mulctantur. Novi virginem dudum variolas passam, quae variolis laborantem amicam exosculando varioloso miasmate ita denuo adficiebatur, ut variola in labio oborta solitum pustulae variolosae decursum teneret. Hisce in casibus vix verosimile videtur, totam massam sanguinis a miasmate infectam fuisse, illudque miasma iisdem locis evomuisse, quibus acceperant.

„In morbis exanthematicis" — Inquit ISENFLAMM *k*) — „habitus vasculorum absorbentium „cutaneorum saepe in censum venit. Video in Puero „sexenni, Variolis non quidem vere confluentibus, sed valde confertis decumbente, in utroque crure supra genu, in ea ipsa regione, ubi „periscelides adplicari solent, unam solam variolam confluentem erupisse, et in suppuratio„nem abiisse, sic, ut crusta exsiccata et detracta

i) *WRISBERG* in Novis Commentariis Goettingensibus, Tomo quinto — *CAMPER* loco citato — *item* (Osiander) in Goettingsche gelehrte Anzeigen 1793. Stück 115. *FORDYCE* in Medical Transactions 1793. in se ipso pluries instituit insitiones variolarum.

k) Dissertatio. De Absorptione morbosa. Pag. 50.

„verum periscelum exhiberet. An forte taenio-„lae arctius constrictae quidquam in vasculis cu-„taneis mutarunt? "

Profecto cutem densiorem reddiderunt; cutem densiorem autem peius affici, cute laxiore, in Variolis animadverti.

De metastasi variolosa in paragrapho de Metastasi quaedam attuli.

MORBILLI.

§. XI.

Miasma morbillorum pari modo ac Variolas, vel effluviis aegrorum, vel rerum contaminatarum contactu, vel insitione *a*) cum sanis communicatur, vasa sorbentia nostra intrat, oculis, naso, cuteque male adfectis iterum sanguini, eorum vasorum absorbentium ope, absque manifesta glandularum adfectione, redditur, ut demum partim per pulmones exhaletur, partim per alvum eiiciatur.

Et quidem Morbillos, inprimis, ni in ultimo stadio debitum administretur regimen, maxime, si admittatur, refrigerium, haud raro omnis generis morbos chronicos, et inter hos quoque glandularum tumores excipere, constat; non

a) Confer Opus classicum: *Rosenstein.* De Morbis infantum. Capite decimo quarto. et *Girtanneri* opus.

tamen tale quid adeo frequenter post morbillos observatur, quam post variolas, hae enim ceteris paribus, morbum longe graviorem constituunt. Interim, si cogitemus, morbillosum virus in lympham potissimum dominari, id quod satis ex symptomatibus catarrhalibus morbillos constanter concomitantibus apparet, mirum sane non videbitur, illius quandoque reliquias in systemate lymphatico observari *b*).

Quod vero Insitionem istius morbi adtinet, recte monetur *c*), Gossypium sanguine morbillosi infectum etiam incisa prius cute nudis brachiis adligatum contagionem aeque certo communicare. Alii praeferunt insitionem per lanam pure imbutam *d*); Alii sanguinis loco utuntur saliva, aut lacrymis tempore criseos stillantibus, aut squamulis decidentibus ab aegrorum corpore.

Hinc inter morbos, qui morbillis malignis, aut imperfecte solutis, sive, ut aiunt, male iudicatis succedunt, referuntur a Mortono glandularum tumores.

Inveniuntur enim post mortem glandulae mesentericae mole auctae *e*), manifesto argumento, Systema vasorum absorbentium etiam in hoc morbo laborare.

b) *Kortum.* Tomo primo. Pag. 257.
c) *Burserius de Kanilfeld.* l. c.
d) *Alexander Monro.* In Praelectionibus 1778. Edinburgi habitis.
e) *Fridericus Hofmann.* De Febribus.

Mirifice hinc Camphora, quae simili modo per pulmones redditur, prodest; dum enim miasma morbillosum sanguini admixtum per pulmones comitatur, ulteriorem miasmatis acredinem vi sua antiseptica arcere videtur.

Si autem nimia quantitate istud miasma sanguini redditur, febrim secundam *f*) excitat, quae tempestivo Camphorae usu vitatur.

Hinc idem miasma morbillorum, diutius in glandula quadam retentum, interdum morbum recrudescere facit *g*), dum scilicet per vasa absorbentia in sanguinem reducitur.

Glandularum autem tumores, post Variolas et Morbillos remanentes, absque ulla concurrente causa non nisi rarissime fieri, recte censet Kortum.

f) *John Gardiner.* On the Gout. Pag. 227.

g) *Francis Home.* Medical Facts and Experiments. Edinburgh 1759. Pag. 250.

PETECHIAE.

§. XII.

Cum absque suppuratione atque desquamatione, ut cuivis notum est, evanescant Petechiae, sanguinis quod in cutis cellulas effusum erat, vasorum sorbentium genere resorberi, probabile videtur, analogo fere modo ac de Ecchymosibus sive san-

ginis maioribus effusionibus et stagnationibus fusius diximus.

Memoratu digna sunt Experimenta satis periculosa, quae circa contagionis modum in febre petechiis iuncta instituta sunt, quamvis rem adhuc non solvant.

Petechias enim, insitione instituta, non communicari, iam M. Stoll *a*) annotaverat.

Cl. Kraus vero cum socio André gravissime febre putrida decumbentium halitum sat diu exceperunt, sanguinem e macula magna petechiali quinque ante aegrae morbum horas extractum lanceola sibi per insitionem communicarunt, tandem sudore squalidissimum aegri indusium induerunt, et per nycthemerum gestarunt, nec infectionem, nec quidquam mali inde passi sunt *b*), neque id mirum videtur.

Juvenem, Petechiis laborantem, lavando decocto Corticis peruviani morti eripuit Basilewitsch *c*).

a) Ratione medendi, parte septima, post obitum edita ab *Eyerel*. Viennae 1790.

b) *Kraus*. Praeside *Ploucquet* Diss. An febris putrida sit contagiosa?

c) Loco citato.

SCARLATINA.

§. XIII.

Otium mihi fecit circa hunc morbum Cl. Kortum *a*), inquiens: „Quae scarlatinam febrim concitat, materiae morbidae insignis aptitudo inest, glandularum, inprimis colli, et salivalium tumores, jam in ipso febris decursu, generandi et diu saepe post iam perpessas relinquendi."

„Cum anno 1787. epidemice saeviret febris scarlatina, observabam in plurimis, potissimum adultis, non febrim declaratam, sed glandularum colli, parotidum, etc. tumores phlegmaticos, et porro."

„Quae vero post scarlatinam veram remanebant glandulosae tumescentiae, in plerisque casibus prorsus non scrophulosas fuisse, satis apparet, cum ex facili discussione, tum si forsan in suppurationem transirent, ulceris facili et absque mora ut plurimum consolidatione, prorsus ceterum exulantibus cachexiae scrophulosae signis. Ex adultis feminis frequentius quam viris tales glandularum tumores residuos molestos fuisse, observaverim.

„Nec non iisdem ii prae aliis mihi pati visi sunt, qui quondam adfectibus scrofulosis laborabant, quibusque forsan debilitas systematis glandulosi atque lymphatici supererat. Neque pror-

a) Tomo primo, §. 43.

sus deerant, haud tamen frequentia exempla, ubi scarlatina pueros scrophulosos prehendens posteriorem hunc morbum auctum et exacerbatum relinqueret."

Manifeste ergo cernitur, etiam in hoc morbo Systema nostrum Vasorum absorbentium laborare.

FEBRIS URTICATA.

§. XIV.

Febris urticata protheiformis speciatim nonnisi vasorum absorbentium subsidio tollitur, ipso autore Josepho Gautieri (de struma Vindobonae 1794. p. 78.).

ARTHRITIS ET RHEUMATISMUS.

§. XV.

Ad Arthritidem Vasa absorbentia nostra symbolam suam conferre, diligens huius morbi frequentissimi indagatio adeo luculenter me docuit, ut dubium amplius ea de re mihi nullum supersit.

Recte hinc pronuntiat Cl. Kortum e duobus casibus, quos fusius narrat, concludens: „Tumores glandularum a materia arthritica in „utroque casu fuisse derivandos, nemo inficias „ibit."

In Morbo articulari, sive strictius sic dicta Arthritide vera, synoviam corruptam inter alias partes ipsa ossa, quae cavum articulare constituunt, laedere, quanquam saepius viderim, attamen adferre liceat testimonia trium Virorum, doctrina atque experientia et iudicio clarissimorum, Friderici Hofmann, Haase et Bonn.

Fr. Hofmann enim de Podagra et Arthritide vera ait *a*): „*Serum salsum excrementitium* „*ad articulos descendit ad ipsos articulos, humo-* „*rem illum mucilaginosum coagulat — immanes* „*in parte adfecta cruciatus suscitat, etc.*"

Haase vero — „*Serum, quod ad articu-* „*los eorumque cava confluxit, quo diutius iis oc-* „*clusum tenetur, eo majora mala aegro infert.* „*Humor enim effusus primum lymphaticus lim-* „*pidus esse, et a blanda indole parum recedere,* „*postea talem tamen acrimoniam sibi contrahere* „*solet, ut molliores partes corrodantur b*)."

In omni carie — acres humores esse, ponimus, quorum effrenata, quaecunque propinqua loca devastandi, vi tanta strages ossium editur, ut etiam densissimae laminae destruantur.

Bonn autem: „*Capitis et Colli tubercula* „*femoris locum dant supicioni, acrem humorem* „*intra articuli cavum effusum fuisse c*)."

a) Fundamenta Pathologiae specialis. Halae 1747. p. 343.

b) Dissertatio de Unguine articulari eiusque Vitiis. Lipsiae 1774. §. 8.

c) Descriptio Thesauri Ossium morbosorum Hoviani Amstelod. 1783. p. 71.

Hinc profecto non mirum, a tali acrimonia ossa ipsa adfecta talem subiisse mutationem, qualem CHESELDEN *d*), RUYSCH *e*), TRIOEN *f*), ALBINUS *g*), BONN *h*), egregie pinxerunt, et HALLER *i*), BONN *k*), van der HAAR *l*), PALETTA *m*), descripserunt, qualemque ipse fusius exposui *n*).

Quis autem negare sustineat, Vasorum absorbentium auxilio istam Ossium mutationem accidisse; cum notum sit, ab iis solis auferri particulas fluidas non modo, sed etiam solidas.

Deinde Vasorum absorbentium ope morbum arthriticum solvi, idonei autores testantur; solum van der HAAR nominasse sufficiat.

Patet, cur in Podagra Vasa absorbentia inflammentur *o*).

d) Osteography Tab. 46. Fig. 1. et 2. Tab. 50. Fig. 1.
e) Thesaurus anatomicus Nonus. N. 74. Pag. 57.
f) Observationes medico chirurgicae. Tabula undecima et duodecima.
g) Annotationes academicae. Liber quintus. Tabula secunda.
h) Tabulae ossium morbosorum. Tabula decima quarta, Fig. 1. et 2.
i) Elementa Physiologiae. Tomo quarto. p. 505.
k) Descriptio Thesauri Ossium morbosorum Hoviani, pag. 20.
l) In Actis Harlemensibus. Volumine octavo.
m) Adversaria chirurgica prima, de Claudicatione congenita, quam Dissertationem recudi fecit *ED. SANDIFORT*. Leidae.
n) In *BLUMENBACHII*, medicinische Bibliothek, dritter Band, pag. 493.
o) *JOHANNES FRIDERICUS HOFMANN*. Dissertatio de Podagra.

Notissimum denique, acrem materiam arthriticam resorptam, et massae sanguineae redditam et oberrantem, in corpore nostro, ni apto loco excernitur, vel si nimia quantitate adest, huc vel illuc deponi, et gravissimos immo lethales morbos excitare.

Post Rheumatismos, quorum cum Arthritide analogia ab omnibus cognoscitur, itidem haud raro glandularum lymphaticarum tumores remanere, experientia quotidiana constat *p*).

p) *Kortum.* Tomo primo. pag. 272.

CATARRHUS.

§. XVI.

In Odontalgia catarrhali, gravedine, generatim in Catarrhis recte monet Kortum *a*): „Non „raro glandulae circa collum, caput et sub „mento, tum conglomeratae salivales, tum „conglobatae intumescunt: qui quidem tumores „licet docente Bierchén *b*) saepe satis pertina-„ces sint, nec suetis cedant remediis, plerumque „tamen abeunte catarrho sponte evanescunt, vel „facile saltim discutiuntur. A scrofulis tumores „catarrhosi, monente Charmetton *c*), ex eo „facile distinguuntur, quod molles ac leviter „sensi-

a) Tomo primo. pag. 261.
b) Vom Krebse. pag. 40.
c) Prix de l'Academie de Chirurgie 3. pag. 201.

„sensiles sint, et facile resolvantur. In infanti-„bus ac iunioribus praecipue observantur, quo-„rum glandulae laxae et debiles sunt, et non „raro per longum tempus, catarrho licet de-„pulso, in iis persistunt. Scrofulosi infantes in-„primis catarrhis obnoxii esse videntur, indeque „malum illud haud parum exacerbatur. Oph-„thalmia nempe scrofulosa accedente catarrho „gravius afficit, narium stillicidium et excoria-„tio labiorum augetur, increscitque glandula-„rum tumentium numerus.“

„Huc quodammodo referendus quoque ille „glandularum morbus, quem Burserius *d*) tam „praeclare delineavit, quemque Angli the „Mumpps *e*), Galli Oreillons, les Ourles, „Itali Orecchioni vocant. Cui vero cum scrofu-„lis nullam affinitatatem esse, nemo certe cau-„sas eius, ortum totumque decursum *f*) perpen-„dens, dubitabit; inepteque profecto illum „forsan etiam ad scrofulas pertinere, idcirco „sentit Ackermann, quoniam infantes praeci-„pue infestarit, qui quidem scrofulis prae aliis „obnoxii sint. Namque non scrofulis solum, „sed quibuscunque ad glandulas congestionibus „iuniores inprimis patere, constat.“

d) Institutiones medicae practicae. Vol. tertio. Cap. 15.

e) *Gooch* Cases and Remarks. p. 17. seqq. — Confer *Russell* Oecon. Nat. p. 114.

f) Confer *Burserium*, loco citato, et ab illo citatos Auctores.

„Generatim observaverim, morbis febrili-„bus ex catarrhali et gastrico charactere compli-„catis facillime glandularum tumores adiungi. „Huius v. c. indolis, si a specifico miasmate „discesseris, scarlatina et modo dictus morbus „glandularum esse videntur. Ceterum rarissime „occurrere, morbos catarrhales puros, sed illos „plerumque bilioso vel alio primarum viarum „inquinamento complicatos esse, hodie ab omni-„bus agnoscitur."

„An a catarrhalibus distinguendi sunt glan-„dularum tumores a refrigerio oriundi? Clima „frigidum et humidum ad scrofulas veras efficien-„das causae remotae instar multum conferre, „deinceps dicetur. Sed de hac re nobis hic „sermo non est. Intelligo potius glandularum „tumescentias absque alia reperiunda causa post „refrigerium, et quidem subito saepe, contin-„gentes. Cl. RIED glandulas in uno colli latere „frigida aura per momentum admissa tumescere „ac inflammari vidit. Verbulo sub scrofularum „spuriarum serie illam a refrigerio notat PLENK."

Equidem non crediderim, hosce glandularum tumores catarrhales distinguendos esse ab illis, qui *refrigerio* oriuntur.

Hosce autem glandularum tumores pertinacissimos felicissime Camphorae topico usu superavi, credens, stimulum quam proxime loco adplicandum, ubi stases essent depellendae, neque prosper successus spem meam fefellit.

ANGINA.

§. XVII.

Post anginam observatum est, glandularum colli inprimis tumores remansisse, interdum quoque abdomen tumidum, quod sine dubio a tumidis glandulis mesenterii provenit *a*).

a) *Kortum.* Tomo primo. p. 260.

DYSENTERIA.

§. XVIII.

Vasa sorbentia Intestinorum, vulgo *chylosa* dicta, in Dysenteria, prouti etiam in aliis ulceribus Intestinorum, adeo luculenta ob spissitudinem puris absorpti vidi, ut non modo trunci maiores, sed etiam radiculae ipsae subtilissimae, longitudinaliter concurrentes, quae alias vix ulla artificiosa administratione, hucusque saltim nota, demonstrari possunt, appareant; quae melius adhuc, si tubi intestinalis hoc morbo laborantis particulam secundum longitudinem sectam et expansam luci oppositam teneas, conspicies. Eiusmodi egregia specimina non modo ipse servo, sed etiam Londini in G. Hunteri et Sheldoni Thesauris anatomicis servantur.

Exinde etiam glandularum Mesenterii tumores, quos in dysenteria et in aliis Intestino-

rum gravioribus exulcerationibus observavi, derivari, atque facile explicari possunt; Vasa enim haecce pus, chylo certe spissius, e loco affecto sorbentia ad istas glandulas advehunt; quod cum difficilius chylo per illud transeat, vel penetrare interdum plane nequeat, tumore excitato molem auget.

Glandulas autem Mesenterii, inprimis eas, ad quas Vasa absorbentia a Colo venientia abeunt, tumidas et simul duriores in Dysenteria Clarissimi Autores viderunt *a*).

Etiam a Dysenteria, ut vocant, suppressa glandularum tumorem adnotarunt *b*).

Minime autem credendum est, ex vasis chylosis motu retrogrado materiam aquoso-serosam depluere in Dysenteria, ut DARWIN (de quo in Capite de Diabete fusius verba feci) opinatur; ista enim opinio ab omni verisimilitudinis specie adeo abhorret, ut seriam refutationem vix mereatur.

a) In Alvi fluxibus glandulas Intestinorum saepè grandescere aut erodi, iam *MORGAGNI* annotavit. De sedibus et caussis morborum Epistola 31. Articul. 15.

Glandulas Mesenterii ex inflammatione tumidas vidit in dysentericis summus M. *STOLL*. Rationis medendi Parte tertia, pag. 281.

In Mesocolo glandulas in dysentericis tumidas vidit *KAUHLEN*. Von der Ruhr. Bonn 1787. 4. p. 6.

Confer et *CRUIKSHANK* Account of the Absorbent Vessels, p. 121. — et *COWLEY* in London Medical Journal, Volum. septimo, Casum quartum et undecimum.

b) *TRILLER* Dissertatio de Tumoribus subitis a Dysenteria suppressa. — Recusa in eius Opusculis.

CHOLERA.

§. XIX.

In Cholera mortuis Vasa absorbentia intestinorum, vulgo chylosa dicta, bile plena visa sunt *a*), manifesto argumento: Bilem (forsan a miasmate epidemico) copiosam et corruptam per vasa absorbentia sanguini reddi, cor vasaque stimulare, et dira huius morbi symptomata excitare.

Facile hinc etiam optima curandi methodus intelligitur. Praeter purgantia enim cholagoga, iusto tempore adhibita, prodest potio, quae a Riverio nomen gerit *b*), bilis plus iusto copiosioris in tubo intestinali remorantis corruptionem arcendo; prodest balneum vinosum, sanguinem reliquasque partes a putredine arcendo; vasorum enim absorbentium ope in hisce balneis tantum absque dubio sanguini traditur, quantum ad corruptionem vel sepsin eius vitandam vel arcendam vel tollendam sufficit.

a) *Assalini*, loco citato, p. 41.

b) *Selle* Medicina clinica, p. 174.

CHYMI ECCHYMOSIS IN ABDOMEN.

§. XX.

A rupto Intestino duodeno Cavitas Abdominis materia lactea replebatur, quae irrepserat in Absorbentia Vasa superficialia, quotquot pertinebant tum ad cavitatem, tum etiam ad viscera ad usque ductum thoracicum *a*).

Perfecte eadem bis vidi accidisse rupto per sphacelum Intestino ileo.

a) *Mascagni.* p. 20.

SANGUIS EXTRAVASATUS.

§. XXI.

Ubicunque Sanguis extra Vasa sua fertur, adeo, ut alicubi stagnet, vel etiam coaguletur, a Vasis sorbentibus sensim sensimque aufertur; ea enim sola via patet ad reditum in reliquam massam; ni autem nimis magna quantitas sanguinis aut seri effusi vel coagulati adest, tota reassumitur.

Vera haec esse, neque hypothesi quadam niti, observationes demonstrant, ubi effusus iste sanguis ruber in Vasis absorbentibus inventus est.

Ipse pluries oculis meis usurpavi, sugillationem in fronte apparentem post aliquot

dies, non infiltratione quadam, sed in ipsis vasis absorbentibus, ad angulum oculi internum et ad radicem nasi decurrentem.

Vidi infantis in partu laborioso natam effusionem sanguinolentam in osse verticali sinistro, dum resolveretur, tumorem excitare glandulae in latere sinistro Colli sitae.

Vidi pari modo et alibi in corpore nostro Ecchymoses sanguinis sugillationes et vibices dictas eorum actione sublatas.

Sic LUDWIG *a*) in Viro, qui casu ab alto haemorrhagiam auris passus est, Vasa absorbentia Cerebri sanguine turgida vidit.

Sanginem in Thorace effusum Vasa absorbentia pulmonum, diaphragmatis, et pleuraae replentem pluries vidi *b*).

Servatur specimen in G. HUNTERI Museo, in quo in ipsa substantia pulmonum vasa lymphatica admodum conspicua sunt, desumtum ex homine haemoptysi mortuo; in illo apparet, vasa lymphatica ex parte coagulato sanguine plena ulteriorem repletionis artificiosae progressum cohibuisse *c*).

A sanguine in Abdomen effuso Vasa absorbentia superficialia Hepatis et Intestinorum turgentia reperimus *d*). A rupta vena splenica a

a) In versione germanica *MASCAGNI*, p. 24.
b) Vidit eadem *MASCAGNI*, p. 21.
c) *CRUIKSHANK* Anatomy of the absorbent Vessels. p. 42.
d) *MASCAGNI*, p. 21.

lapsu abdominalia vasa absorbentia sanguine turgida invenit MASCAGNI.

In Peritonaei et Intestinorum Inflammatione vasa absorbentia lympha sanguinolenta repleta vidit CRUIKSHANK.

A sanguine menstruo vasa absorbentia ad glandulas usque repleta visa sunt *e*).

In haemorrhoidibus sic dictis suppressis glandularum in pelvi sitarum tumores oriuntur.

A sanguine inter Musculos artuum effuso Vasa absorbentia ad usque glandulas replecta visa sunt *f*).

Interdum vero non solummodo ad glandulam proximam, sed ad ipsum Ductum thoracicum usque Vasa absorbentia sanguine rubro repleta offendi *g*).

In ipso Ductu thoracico denique illorum, qui ecchymosi perierunt, verum sanguinem fluidum vel coagulatum saepius inveni; invenerunt et alii quam plurimi *h*). Non ignoro autem, in-

e) Exempla tumorum glandularum a Menstruis tum suppressis tum cessantibus allegavit *KORTUM* Tomo primo §. 45. p. 265.

f) *MASCAGNI*, p. 21.

g) Idem viderunt *CRUIKSHANK* et *MASCAGNI*.

h) Autoribus, quos allegat *ALBERTUS HALLER* de corporis humani fabrica Libro Secundo, Sectione prima, §. 28. Tomo primo, p. 209. addo adhuc *WEPFERUM MONRO* et *SABATIER* in Memoires de l'Academie de sciences à Paris 1780. In equo, cui contusionibus multum sanguinis, tum in abdominis cavum, tum et in telam cellulosam effusum fuerat, in Ductu thoracico lympham sanguine mixtam reperit *DESSAULT* Autore *WEIDMANN* de Necrosi ossium. Francof. 1793. fol. p. 3.

terdum in cadaveribus ob sublatam resistentiam valvularum finalium huius Ductus sanguine e Venis sanguiferis se insinuante repleri.

Quoties ergo lympham rubram in Vasis absorbentibus viderunt, toties pariter in cavis corporis, a quibus ista Vasa absorbentia originem trahunt, sanguinem extra vasa viderunt *i*).

Hinc concludit L. M. A. CALDANI *k*). In sugillationibus, sanguinem, aut certo cruentum serum viderunt sorbentia vasa nonnulla in cadaveribus replevisse, *longo etiam temporis intervallo*, a sugillationum principio, id quod significare videtur, *lente admodum ac difficulter* per lymphae ductus liquida *recipi* atque *moveri*, quae a lymphae tenuitate non parum distant.

Ex eorundem autem vasorum absorbentium cognita natura et remediorum idoneorum non vanus, sed efficacissimus usus *topicus* apparet: v. c. Acetum, Solutio Salis ammoniaci in Aceto, Vinum calidum prodest in sugillationibus, cum ea horum medicamentorum pars, quae absorbetur, sanguinem stagnantem simul diluit, et dilutum a corruptione servat, dum illum per vasa sorbentia comitatur.

i) *MASCAGNI*. p. 16.
k) Institutiones anatomicae. Venetiis 1791. Tomo secundo p. 110.

VASA ABSORBENTIA VARICOSA.

§. XXII.

Angustissima Vasa absorbentia intestinorum, vulgo *lactea* dicta, phlegmaticis, amplissima melancholicis esse, Autor Anonymus de Natura cholericorum asseruit; ipse tamen, in hominibus proceris vasa absorbentia ampla, magnitudini corporis proportionata, in nanis angustissima inveni, prouti in Archetypis, quos servo, cuivis cernere licet.

Hinc varicosa non dicenda sunt vasa absorbentia v. c. e gigantibus desumta.

Varicosa autem in universum redduntur vasa sorbentia vel pressione, vel ligatura, vel obstructione glandularum, ad quas abeunt, vel forsan debilitate tunicarum.

Varicosa vasa absorbentia in ipsa coniunctiva oculi viderunt et delinearunt Schreger et Tilesius vid. Beitraege, Theil I. in fine.

Hinc varicosa apparent nostra vasa, si illico post mortem hydropicorum forti ligatura comprehunduntur *a*); hinc ipsae cellulae glandularum dilatari videntur *b*); — immo glandulae ipsae in hydatides abeunt *c*).

a) *Assalini*, p. 56.

b) *Mascagni*, p. 34.

c) *Cruikshank*. Anatomy of the absorbent Vessels.

Sic Vasa absorbentia mammarum cancrosarum ab ichore absorpto varicosa servo in liquore idoneo.

Sic quaedam vasa absorbentia pulmonum admodum varicosa nitidissime magnitudine naturali pingit MASCAGNI *d*).

Concreta lympha parumper albescente vasa Cordis absorbentia turgere vidit CALDANI *e*).

Vasa absorbentia Intestinorum tenuiorum, inprimis in ea parte, quae proxime Duodenum excipit, vulgo chylosa dicta, saepius inveni in sectionibus pathologicis, materia quadam lacteola, attamen spissiore, mollioris fere casei adinstar, enormiter expansa, margaritarum adinstar, in ipso tubo ludentia; selecta specimina servo in liquore idoneo. Eiusmodi specimen nitide pinxit WALTER *f*), scilicet vasa lactea et glandulas Intestini Jeiuni obstructas et induratas e viro triginta circiter annorum. — Sic etiam EDUARD. SANDIFORT *g*) Vasa lactea, quae primi generis dicuntur, ex infante paucarum septimanarum, cui glandulae mesentericae admodum tumidae, et bini volvuli erant, admodum crassa, ni varicosa dicenda sint, pingit. — Pari modo vasa

d) Tab. XX. HH. Tab. XXI. 21.

e) Institutiones anatomicae. Venetiis 1791. Tomo secundo, p. 102.

f) Memoire *sur la Resorption*, in Memoires de l'Academie royale des sciences à Berlin, ad annum 1787. p. 21. et in versione germanica eiusdem dissertationis.

g) Observationum pathologico-anatomicarum Libro secundo Capite octavo Tab. 8. Fig. 5.

lactea vidit LUDWIG *h*) in puella septem annorum, quae glandulas mesentericas scirrhosas habebat.

Vasa absorbentia Intesttnorum in herniis varicosa reddi, in capite de Hernia retuli.

Vasa sorbentia Areola Mammae materia ex albo luteola referta in Vetula vidi.

Pari modo materia albida referta vidi vasa sorbentia hepatis et vesiculae felleae.

Immo in femina vivente robusta, Ancylosi genu laborante, vasa sorbentia eiusdem cruris adeo varicosa vidi, ut oedematis pedis speciem praeberent, semel tantum hucdum mihi visam; cum impetu lympham prosilientem vidi e vase tali varicoso, vel acu vel lanceola in hac femina aperto.

h) Epistolarum ad Hallerum scriptarum. Volumine secundo. p. 294.

VASA ABSORBENTIA OBSTRUCTA, CALLOSA, OSSEA.

§. XXIII.

Post usum Cantharidum fere semper vasa absorbentia obstructa invenisse vult MASCAGNI *a*). Etenim ab irritatione mechanica vel chemica Vasa sorbentia concitari spastice videntur.

a) Pag. 23.

Tunicae vasorum absorbentium quandoque callosae quasi redduntur, ut saepius vidi; quin immo semel tunicas ossificatas circa pelvim vidit Masgagni *b*).

Materia lapidea et ossea repleri vasa absorbentia, notavit Cruikshank *c*); ipse etiam vidi in Lapidariis glandulas lymphaticas circa tracheam sitas concrementis terreis veris ergo Calculis vel Lapillis refertas. Neque hoc mirum videtur: pulvis enim in Lapidum praeparatione in auras abeuns, et cum aëre pulmones intrans, a vasis sorbentibus trachealibus attrahitur, inque glandulis trachealibus deponitur. Vasorum absorbentium lapidefactorum figuram dedit Walter *d*).

Aliquando vasa absorbentia materia tenaci, densa, veluti tartarosa repleri, praesertm ea, quae a locis scirrho affectis nascuntur, notavit Mascagni *e*).

In Rachitide non raro cum obstructis glandulis et vasa absorbentia obstructa invenerunt *f*).

Ductum thoracicum eiusque glandulas materia caseosa repletum vidit Poncy *g*).

b) Pag. 30.
c) Pag. 74.
d) Loco citato in Memoires de l'Academie royale des sciences à Berlin 1786. et 1787. p. 21.
e) Pag. 29.
f) *Assalini*, p. 57.
g) Apud *Saviard* in Observations chirurgicales. Observat. 3. — item *Cruikshank*.

Londini et alibi se vidisse ductus thoracicos obstructos materia terrea vel ossea, testatur ASSALINI *h*).

Materia ossea e spina ventosa ossis ilei adeo repletum vidit CHESTON *i*) Ductum thoracicum, ut aërem inflatum aegre transmitteret.

Cavitatem Ductus thoracici angustiorem, utpote ab Aneurysmate ad dextrum latus pulsum et elevatum a spina vertebrali, ideoque etiam elevatum, observavit BAYFORD *k*).

Ductum thoracicum posteriorem autem obstructum repertum, et marasmi insanabilis caussam fuisse, WATSON *l*) ex hypothesi potius quam observatione scripsisse videtur. Etenim eo adduci nequeo, ut credam, occlusa hac via vitam per aliquot dies superstitem esse posse; neque unquam in hominibus decrepitis ductus thoracicos obseratos inveni; neque novi a quoquam anatomico fide digno obseratos revera inventos esse.

Calculum denique in Ductu thoracico posteriori inventum pro caussa hydropis habuit I. D. SCHERB *m*).

h) P. 52.

i) Philosophical Transactions. Volumine Septuagesimo. Anno 1780.

k) Medical observations and Inquiries. Volumine tertio. p. 18.

l) Philosophical Transactions. Volumine quinquagesimo. p. 392.

m) In libello peculiari 1729. edito. — Recusus *HALLERO* in Dissertationibus pathologicis.

GLANDULAE ABSORBENTES TUMIDAE ET OBSTRUCTAE.

§. XXIV.

Licet in quovis Capite de glandulis tumidis verba facio, hac tamen data occasione de vasis absorbentibus obstructis loquendi, pauca quaedam, utpote minus apte alibi inserenda, hic in universum adnotabo.

Glandulas bronchiales sorbentes adeo tumidas vidit Cruikshank *a*), ut tracheam comprimentes aegrum iugulando necarent. Glandularum concrementis terreis refertarum exemplum in paragrapho antecedente retuli.

Glandulas pulmonales absorbentes in Phthisicis et Peripneumonicis plerumque obstructas invenit Mascagni *b*).

Saepe autem glandulas adeo impervias mercurio reperit Mascagni *c*), ut potius Mercurius, magna vi impulsus, vasa rumperet, quam glandulas transiret.

Chylus a nimis ineptis alimentis, a lacte acri absorptus, glandulas mesentericas, ad quas defertur, in tumorem tollit; hinc, si obstructae vel gravatae hae glandulae occalluerunt, non mirum est, hominem denique tabie consumi.

a) Loco citato, p. 124.
b) Pag. 112. in nota.
c) Pag. 20.

In istarum glandularum mesentericarum obstructione et impedito itinere per Ductum thoracicum, chylum annotarunt devium ad ea vasa sorbentia transire, quae cum absorbentibus hepatis communicant; hinc ea absorbentia hepatica chylo plena reperiri, quae ad radicem dextram superiorem Ductus thoracici posterioris abeunt, utpote obstructa parte inferiore Ductus thoracici *d*).

In Atrophia glandulas mesentericas tumidas, chylo caseoso plenas, viderat iam DIEMERBROECK *e*).

Immo tumorem Mesenterii cum hydatidibus et partibus cartilagineis triginta librarum pondere observavit de HAEN *f*).

Glandulae sorbentes sacrales adeo tumidae inventae fuerunt, ut intestini recti compressione obstructionem alvi lethalem cierent *g*).

Glandulae sorbentes Pelvis internae adeo tumidae visae sunt, ut partum impedirent *h*).

„In tota Classe conglobatarum glandularum," inquit ALBERTUS HALLER *i*), „longe, quam in „conglomeratis, frequentiores scirrhi sunt, et „cum hac posteriori tribu tota sana Cl. viri lym-„phaticum

d) *Assalini*, p. 53.
e) Pag. 59.
f) Rationis medendi Tomo septimo.
g) *Cruikshank*, p. 119.
h) *G. Hunter* Autore *Cruikshank*, p. 119.
i) De Corporis Humani Fabrica. Tomo primo, p. 363.

„phaticum glandularum genus scirrhis obsessum „repererunt."

„Neque, si ad causas recurras, obscurum est, „quare in conglobatis glandulis celeritas fluidi „transeuntis minuatur. Perinde enim, ut de „rubris vasis dicetur, ita in lymphaticis ad glan„dulas adpellentibus, celeritas lymphae minuitur, „ob maius lumen omnium ramorum, cum lumine „trunci comparatum: deinde etsi vasa efferentia „pauciora sunt, et in universum inferentibus non „maiorem habent luminum summam, in iis „tamen non potest amissa celeritas reparari, cu„ius pars non exigua destructa sit, frictione, „quae fit, dum per minora et conica decrescen„tia vasa delatus humor parietes suorum vasorum „distendit Ipso Experimento adeo potentem „retardationem ex his causis in lymphaticis glan„dulis nasci reperio, ut nulla vi fluidissimum „metallum in lactea vasa inpulsum ad totum „lacteum systema, aut in ductum thoracicum „urgere potuerim, neque magis successisse vidi, „cum summus anatomicus Albinus id experi„mentum faceret. Recte adeo dudum observa„tum est, uti in hepate, sic in conglobatis glan„dulis, ex mora transeuntis humoris frequentes „scirrhos subnasci."

Silentio tamen hoc loco premere nequeo egregios Jacobi Reziae *k*) argumentationes circa viscerum obstructionem cum molis incremento,

k) Loco citato.

quippe ad glandularum lymphaticarum sic dictam obstructionem facile applicari poterunt. Verum enimvero non omnis tumor glandulae sorbentis obstructio adpellanda est, prouti vulgo fieri solet. Ipse enim expertus sum in iniectionibus meis, in demortuorum corporibus institutis, per eiusmodi glandulas tumidas expeditiorem esse mercurii viam, quam per glandulas solitae magnitudinis *l*).

Glandularum absorbentium a vi externa tumefactarum exempla collegit KORTUM *m*).

Quae BARTHEZ *n*) habet: „Les glandes „conglobées ont entr'elles une forte sympathie, „que manifeste la succession de leurs engorge„ments dans des parties bien éloignées,“ non a sympathia, sive facultate occulta quadam, sed a structurae similitudine, et miasmate in toto corpore oberrante, omnes glandulas simili modo afficiente, explicanda mihi videntur, prouti ipse etiam a glandularum obstructione procedente (a sympathia independente) explicat, quod in Atrophia infantum et Phthisi tuberculosa glandulae mesentericae et Colli intumescant. At in tumoribus glandularum inguinalium pressione bracherii ortis tumores glandularum Colli et pone Aures a sympathia quadam derivandos opinatur.

l) Confer casum, quem in Capite de Empyemate retuli.
m) Tomo primo. §. 47.
n) Nouveaux Elemens de la Science de l'homme. Montpellier, 1778. p. 68.

Denique si observationes meae tum in vivorum tum mortuorum corporibus institutae quid valeant, non semper tota glandula simul afficitur, sed pars eius satis sana perstans, non inepta relinquitur ad officii sui functionem obeundam.

VERMES IN GLANDULIS ABSORBENTIBUS.

§. XXV.

Vermem Hamulariam lymphaticam in glandula sorbente prope Tracheam sita repertam nitide delineat FR. AUG. TREUTLER *a*).

a) Auctuarium ad Helminthologiam Corporis humani. Lipsiae 1793. Tab. II. Fig. 4. et 7.

RUPTURA VASORUM ABSORBENTIUM.

§. XXVI.

E ruptura vasorum absorbentium non prorsus improbabili coniectura oedema et hydropem derivari posse, de Hydrope agens notavi.

Vasorum absorbentium in glandulis ipsis rupturam caussis praedisponentibus scrofularum annumerant *a*), difficilem autem demonstrationem eiusmodi rupturae ob subtilitatem nimiam esse, non est, quod moneam.

a) *ACKERMANN* Dissert. De Scrofulis.

Phthisin ipsam e ruptura vasorum chylosorum explicat R. MORTON *b*).

Rumpunt autem vasa lymphatica autore WHITE *c*) vel contusione vel nisu in partu laborioso.

A ruptura vasorum lymphaticorum fungum articularem oriri posse autumat BRAMBILLA *d*).

A ruptura Ductus thoracici hydropem lacteum Pectoris ortum vidisse vult BASSIUS *e*). Ductum thoracicum ruptum invenisse vult in puero quatuordecim annorum GUIFFART *f*).

b) In Phthisiologia — et apud *R. VIEUSSENS* Novum Vasorum Corporis Humani Systema Amstelod. 1705. in Monitione ad lectorem — et *DONALD MONRO* On Dropsy. pag. 23.
c) Apud *ASSALINI*, p. 115.
d) Acta Academiae medico-chirurgicae militaris Viennensis. Tomo primo, p. 16. et 17.
e) Observationum Decade secunda. Observatio septima.
f) Apud *BARTHOLINUM*. Oper. nov. p. 490.

VULNERA VASORUM ABSORBENTIUM.

§. XXVII.

Vulnus vasculi sorbentis prodit lymphae tenuis perpetuum et pertinax stillicidium, cessans compressione inter vulnus et locum, a quo oritur istud vasculum, ad vulnus illud abiens *a*).

a) Qui opportunitate non fruuntur, naturam ipsam consulendi, adeant Tabulas egregias *MASCAGNI* ad ea perfecte intelligenda, quae hic expono.

Sic in vulneribus dorsi pedis prope malleolos *b*) vel prope genu, pari modo ac in vulneribus dorsi manus vel prope plicam cubiti, generatim *ubicunque prope articulationes*, ob laesionem vasorum sorbentium et lymphae continuum stillicidium cicatrix impeditur.

Constat autem, Vasa absorbentia circa articulationes non modo in truncos numero minores colligi, sed etiam cute tenuissima et pauca pinguedine tegi: hinc oborientis inflammationis tumore ob cutis tenuitatem non facile eo usque comprimuntur, ut stillicidium cessare possit, prouti in aliis partibus id fieri solet.

Non raro etiam Venae sectione, in Brachio vel praecipue in Pede instituta, Vasa sorbentia, in vicinitate currentia vel ipsam Venam transeuntia, cultello laeduntur, parci enim illis omnino nequit; stillicidium autem insequens magnam creare molestiam imperitis solet *c*); ni enim arte inhibetur, diu manare potest *d*).

b) Confer Exemplum, quod in Capite de Hydrope retuli.

c) *Antonius Nuck.* De Vulneribus Vasorum lymphaticorum, in egregiis Experimentis chirurgicis Lugduni Batavor. 1733. Capite 28. — Casus, quos *Haller* de Corporis humani Fabrica Tomo primo, p. 318. collegit, hic repetere nefas duxi, liceat tamen in medium proferre proprias ipsius observationes; in Elementorum Physiologiae Libro undecimo Sectione prima, §. XI. „Ipse vidi -- inquit — adeo et longum et contumax „lymphae post incisam venam profluvium, ut non aliun„de, quam de grandi vase lymphatico inciso, possem „explicare."

d) *Van Swieten* Comment. ad §. 1228. tres casus vasorum absorbentium venaesectione inflammatarum fusius nar-

Vulnerato enim Vasorum sorbentium maiori trunco quodam, non modo sanatio et cicatrix pertinaci lymphae effluxu retardatur, sed etiam sanato tandem vulnere oedema oboritur ab obstructione viae, per quam lymphae in sanguinem redeundum est; non raro id post exstirpationem glandularum axillarium accidere solet *e*); neque rarum, istiusmodi stillicidium taediosum glandulae inguinalis tumidae incisionem intempestivam insequutum esse *f*).

Oedema autem tali modo obortum tamdiu durat: donec vasa sorbentia laterali eo usque extendantur, ut eorum amplitudo sufficiat ad lymphae insolitam quantitatem transmittendam.

Neque rarum, sorbentia nostra vasa, quae per ulcera feruntur, corrodi et liquorem stillare *g*).

Quantitas autem non contemnenda lymphae vel parvo eiusmodi vulnusculo sine dolore pro-

rat J. *Albernetty.* Surgical and physiological observations. Lond. 1793. parte secunda, p. 170.

e) *B. Bell.* System of Surgery. Volum. quinto, p. 28. et Capite 36. Sect. 6.

f) „Chirurgus bubonem venereum ante perfectam matu„ritatem aperuerat, et mala fortuna vas lymphaticum „dissecuerat, unde magna lymphae copia quotidie ef„fluebat; spleniis infra locum affectum impositis, et „per fibulam arcte compressis, compescuit lymphae per „vasa lymphatica ascendentis motum, et sic curavit fe„liciter." *Swieten* Commentariorum Tomo quarto, p. 189. ad §. 1228.

g) *Mascagni* p. 30. novem truncos vasorum sorbentium dissolutos in ulcere tibiali numeravit.

manat *h*) ; trium dierum spatio enim quinque libras lymphae effluxisse exigua apertura in interiore parte femoris vidit Assalini *i*).

Ad stillicidium compescendum et tale vulnus sanandum commendarunt: compressionem per splenia infra locum affectum imposita *k*), per fibulam arcte adstrictam *l*); agaricum *m*); aquam calcis cum Myrrha *n*). Spiritum vini *o*), Naphtham *p*), Vitriolum romanum *q*), immo difficilem admodum et aegre ob subtilitatem nimiam peragendam vasculi ligaturam *r*), quin causticum lunare sive lapidem infernalem *s*), eundem lapidem infernalem et spiritum vini, scilicet ne

h) *Ioannes Muys.* De vulnere Vasculi lymphatici in eius Praxi medico chirurgica. Amstelodami 1695. Decade sexta, observat. tertia, p. 240. „*Quotidie*, ait, *ingens copia aquae profluebat.*" Eadem vidit et *Patek*, Autore *Schreger* in Beitraege etc. p. 184.

i) Loco citato, p. 54.

k) *Nuck*, loco citato.

l) *Van Swieten*, §. 1228.

m) *Bell* Capite 36. Sect. 6.

n) *Th. White* On the struma. London. 1784. in Praefatione. In laesionibus vasorum absorbentium quibus fungi succrescunt laudat.

℞. Calcis vivae ℥jj.
gum. Myrrhae ℥j. teratur in Mortario marmoreo et add. Aquae bullientis ℔j. Digeratur per dies aliquot et servetur ad usum.

o) *A. Monro* Works Edinb. 1781. 4. p. 315. Histories of the Cure of Lymphatics opened in Wounds.

p) Ex amico habeo.

q) *Idem Monro*, loco citato, et *Haller* de Corporis humani Fabrica Tomo primo, p. 318.

r) *Bell* System of Surgery. Cap. 38. Sect. 6.

s) *Monro*, loco citato.

eschara lapide infernali orta nimis cito decidat *t*), vel demum ad ferrum candens *u*) confugerunt.

Balsama autem, contrario horum remediorum modo agentia, noxia notata sunt.

Vulnera glandularum sorbentium facile satis ut vulnera venarum sanantur.

Vulnus Ductus thoracici diiudicandum videtur e loco, quo telum vel aliud instrumentum laedens adactum est, porro effluxu materiae et tabe aegroti.

Curandam videtur periculosum istud vulnus diaeta parca, parvis portionibus sumenda, et quiete.

In istis casibus autem in *solo* vasorum absorbentium auxilio tota spes nostra nititur, fore, ut ea, quae effusa erant, iterum reassumantur.

Recte enim Assalini *v*): „Il est prouvé, „que les Vaisseaux lymphatiques absorbent plu„sieurs substances épanchées, dans l'interieur du „Corps, à la suite d'une blessure du Canal, thorachique, ou des vaisseaux lactés ou lympha„tiques."

Longe melius denique *w*) Simpliciusque omnia symptomata abscessum magna plaga aper-

t) *Laenisch* in Libro egregio de Cancro Petropoli 1784. p. 42.

u) *Bell*, loco citato, Capite 36. Sect. XI.

v) Loco citato, p. 44.

w) Confer *S. Th. Soemmerring* Programma de cognitionis subtilioris Systematis lymphatici in medicina usu. Cassellis 1779. 4. p. 14.

tum supervenientia e vasorum sorbentium laesione, quam e libera aëris admissione, explicari posse videntur. BENJAMINUS BELL x) quidem chirurgus dexterrimus Edinensis eam sententiam defendere studuit, sed pleraque eius argumenta, vasa sorbentia laesa potius, quam aëris admissionem accusandam esse, indicant.

Dixit: „*Aërem, pus quod ſorte antea optimum erat, simulac incisione ſacta ad missus est, illud mox in tenuiorem incoctumque ichorem transmutare, pulsum celerem, sudores admodum debilitantes, aliaque ſebris hecticae symptomata excitare, ac plerumque intra breve tempus mortem aegri accelerare. Saepius ipsi opportunitatem datam ſuisse haec observandi, qua ipsi constiterit, solum aëris accessum caussam pessimorum horum symptomatum esse. Inprimis haec eo cognosci, quod plerique aegrorum, post apertum demum abscessum male se habentium, antea per longum tempus absque ullo signo tumores purulentos maturos ſere gessissent. Simulac vero (sin solito latius vitium erat) incisione larga aperiebatur, omnia ſere symptomata ſebriculae, et haec quidem intra duorum dierum minus spatium orta ſuisse. Difficilillimum quidem esse, hunc subitaneum aëris*

x) Treatise on Ulcers. Edinb. 1778. 8. *BELLIO* assentitur inter alios et *M. FODERÉ*, Essai sur le Goitre et le Cretinage. Turin 1792. p. 74 „L'Introduction „seule de l'air rend souvent de très-mauvaise nature „des ulcères fistuleux, qui sans cela auroient été très-„benins.“

effectum explicare y), nonnihil tamen irritationi aëris in superficiem exulceratam tribuendum esse. Aëre enim finibus vasorum absorbentium, in abscessum patentium, irritatis solito maiorem puris copiam in corpus resorberi; qui simul pus etiam magis corrumpendo efficaciam eius in producenda hectica augere possit. Experientia denique innotuisse! omnem materiam, et serum (pus maxime constituens) citius putrescere aëre admisso, quam excluso. Hinc setaceo non magna plaga abscessum magnum incidi, commodissimum esse, exemplis comprobat; praecipue autem requirere hanc methodum partes glandulosas abscessibus affectas, cum magis adhuc magna plaga ibi noceat. "

Sed per singula eundum, quae ad abrogandam hanc sententiam me moverunt.

Dicit primo: *Aërem admissum pus, antea optimum, in ichorem mutando, febriculaque excitata, mortem hominis accelerare.* Equidem eum, qui diligentius vasa absorbentia lustraverit, ea omnia incisionem hanc subsequentia symptomata, ex ipsorum laesionibus explicari posse, intellecturum opinor. Vera observavit Cl. BELL, sed aliter explicanda; adspicias enim modo tabulas HEWSONIS et MASCAGNII, parvum profecto vasorum lymphaticorum numerum, si cum na-

y) Egregie caussas horum phaenomenorum explicavit, *ABERNETTY* in surgical observations, on Lumbar Abscesses.

tura comparantur, exhibentes, et fingas tibi sectione longitudinali brachium vel pedem circa articulos incidi, vel abscessum magnum aperiri, lymphaticorum truncorum adscendentium orificia secta haud contemnendam exstillabunt humoris quantitatem. Notissimum est, post venaesectionem vel etiam articuli laesionem interdum exstillare humorem limpidum, vulneris glutinationem impedientem. Inepte illud e laesione tendinum antiquo errore explicant. Veteribus, ut *Celso* Libro quinto Capite 28. dicenti, *„ex „carne pus laeve, album, copiosius fertur, „at ex nervoso loco coloris quidem eiusdem, sed „tenuius et minus, ex nervo pingue et oleo non „dissimile,“* ignoscendum, quia ea vasa nota non habebant; at recentioribus veros eius humoris fontes nostra aetate notissimos, ignorantibus eadem venia non danda. Idem autem in hoc casu fieri, non improbabile est; magna enim copia effusae lymphae quotidie amissa, brevi certe tempore toto corpore debilitato febriculam excitabit.

Deinde, quod *tam brevi tempore* id accidat, a vasis absorbentibus laesis potius quam aëre id fieri demonstrat. Tot enim oris vasorum absorbentium lata plaga apertis ingentem copiam humoris ad vitam necessarii brevi tempore effundi posse, negari nequit, quanquam vice versa, quo modo aër tam brevi tempore id peragat, aegrius, ut ipse confitetur, comprehendi possit. Cur

eandem autem *puris quantitatem, ante* ferro *apertum abscessum,* vasis scilicet nondum sectis, *gerere* poterant? quum horum vasorum sectione effusae lymphae, inprimis febricula excitata, tribuenda sit.

Deinde adfirmat: *Difficile esse, huius aëris tam subitaneum vehementemque effectum explicare; nonnihil tamen irritatione aëris in superficiem exulceratam tribuendum esse. Aëre enim stimulata ora vasorum lymphaticorum majorem puris copiam resorbere, et hinc oriri tabem.*

Difficile hanc aëris vim intelligi, lubentissime concedo. At lympham sectis illis vasis, et quidem ex ea parte, quae infra sectionem est, effundi, quis negare sustineat? Nullam tamen omnino particulam puris resorberi, ideo non reiicitur.

Tum contendit: *Pus simul aëre admisso putridius redditum, generationi febriculae inprimis favere. Experientiam docuisse, serum, pus constituens, citius putrescere aëre libero, quam excluso.*

Haec sententiae meae inprimis favent. Nonne enim hoc serum, hocce pus, citissime, ipso consentiente, in corruptionem ichoremque versum, lympha ipsa? Sicuti enim, pus in loco affecto nonnumquam parari, negari nequeat, ut etiam Vir clarissimus alio loco praecepit, sic et tali in casu ichorem ibidem, materia maxime vasis lymphaticis suppeditata, gigni atque con-

strui, vix dubitandum, aëre insuper libero, si placet, auxiliante.

Hinc *setaceum*, methodo ab ipso descripta adplicatum, *magna plaga ad aperiendum abscessum praeferendum esse*, proponit. Lubentissime egregio Viro adstipulamur in exercenda hac saluberrima methodo, quam ratam pluribus exemplis comperimus, quanquam aliis argumentis ad eam adducti. Primo, hanc methodum vasis lymphaticis parcere, non est, quod demonstrem. Deinde, si tanta cura aëris admissio vitanda esset, vel hac methodo eam arceremus? Equidem credo, hoc in casu aërem arceri omnino non posse; vel si hoc etiam negemus, per spatiola, inter funem setacei et vulnus relicta, ingredi. Tum sin in abscessu adeo pertimescendus esset aëris adgressus; cur in aliis vulneribus, cur in aliis superficiebus, v. c. in amputatione Mammae vel Femoris, non de eadem re solliciti fuerunt chirurgi?

Postquam haec scripseram, apud HALLERUM lego: z) „Ex lymphaticis etiam vasis „prodeunt insignia stillicidia lymphae, quae ex vul„neribus circa cubitum, occasione sectionis venae „inflictis, passim succedunt, et quorum exem„pla ipse vidi, ut aegerrime ea aquula plurimo „vitriolo imposito demum compesceretur." Ea occasione citat C. M. ADOLPHI, J. BOHN, ZA-

z) De Corporis humani Fabrica. Tomo primo, p. 318.

RINI, A. MONRO, STALPART VAN DER WIEL, SCHOUTEN.

Egregie haec mea sententia confirmatur TH. KERCKRINGI *a*). Observatione in fistulosis cruris vulneribus vinculo infra genu applicato, fluxum humoris perpetuo stillantis cessare quidem, sed, quod infra ligaturam est, intumescere; et merito inde concludit; fistulositatem istam vulnerum externorum et oedematosas hydropicasque plurimas internas constitutiones a vitio lymphae lymphaticorumve vasorum capere originem.

Pari modo KIRKLAND *b*) asserit, se sanasse abscessus lymphaticos prope articulationes incisione, quos setaceo ad sanationem ducere nequibat; aërem cum setaceo in abscessum insinuari, et pus blandum reddi acre.

Etiam SHARP *c*): „I do not think, the air „has that ill effect on sores as is generally con-„ceived, nor would the large abscesses on breasts „which are often exposed to the air the whole „time of cure do well if it was so very perni-„cious as is represented — But as it tends to „make a scal and in winter is a little painful „to the new flesh, it will be right to finish „the dressing as quick as may be without hur-„rying. "

a) Spicilegium anatomicum. Observatione 91.
b) Inquiry into the present state of Surgery. Volumine secundo, p. 112. et seqq. p. 123.
c) Introduction on Surgery, p. 17.

Hinc et A. G. Richter *d*) aperitionem genu cum cultro vetat; plerumque enim, monet, nil nisi serum sanguinolentum effluere, violenta insequi symptomata saepe cum periculo iuncta.

Hinc in universum abscessus solito rarius aperiendos docet Petrus Weidmann *e*).

Nec non mihi assentiunt Josephus Claudius Rougemont *f*), et Basilewitsch *g*).

d) Medicinische und Chirurgische Bemerkungen. Goettingen 1791. Tomo primo, Capite ultimo de Fungo articulari.

e) In Opere classico de Necrosi. Francofurti 1793. fol. p. 14. et in *F. E. A. Brunneri* Dissertatione de Abscessibus solito rarius aperiendis, Wirceburgi 1793. 8.

f) In libro egregio Handbuch der chirurgischen Operationen für Vorlesungen. Erster Theil. Bonn 1793. 8. p. 204.

VENENA.

§. XXVIII.

Eadem symptomata ab Arsenico externe adplicatoo oriuntur, quae ab interne sumto Arsenico excitantur, ut docte demonstravit Hahnemann *a*).

A Vinis plumbo mangonisatis vasa absorbentia coarctari, et atrophiam oriri *b*).

Venena alia, praesertim saturnina, ingesta quandoque glandulas lymphaticas in tumo-

a) Ueber die Arsenikvergiftung. Leipzig 1786.

b) *Basilewitsch.* Loco citato.

rem tollunt. Coram id video in archetypo quem delineatum exhibuit benevoleque mihi cessit Cl. Ebell *c*).

Certissimum autem est, maximam antidotorum efficaciam pendere ab actione vasorum absorbentium; ni enim antidotum immediate venum quoddam, in tubo intestinali adhuc contentum et remorans, corripit et destruit, omnis spes nostra salutis in eo nititur, quod ab actione vasorum absorbentium reliquum est.

c) Die Bleyglasur des irdenen Küchengeschirrs als eine unerkannte Hauptquelle vieler Krankheiten. Hannover 1794. Tab. 2. p. 511.

CANTHARIDES.

§. XXIX.

Saepius in me ipso, uti et in aliis, expertus sum, eam esse cantharidum vim, ut glandulas sorbentes inter cor et locum, cui adplicantur, sitas in tumorem tollant, et dolorosas reddant, quemadmodum decursus horum vasorum ex anatomia notus id indicabit; manifesto profecto argumento: per vasa nostra, nec alia via, subire cantharidum acrimoniam corpus nostrum.

Sic ubi vesicatorium impositum est Capiti, Collo, vel Nuchae, glandulae absorbentes Colli et pone Claviculas sitae; — si pectori, dorso, manui, brachio, scapulae, abdominis superiori parti

parti impositum, glandulae axillares; — si Lumbis, Abdominis parti inferiori, Femoribus, Cruribus, vel Pedibus impositum, glandulae inguinales intumescunt et dolent.

Simulac vero cantharides removentur, etiam glandularum tumor et dolor evanescere incipiunt.

Eandem vero stranguriam excitare cantharides vel adinstar vesicatorii, vel in tinctura applicatos, vel interne sumtos, vulgatissimum est, dummodo quantitas sufficiens Cantharidum absorbetur, et ad renes defertur.

Mascagni *a*) glandulas nostras obstructas invenisse vult in corporibus eorum, quibus vesicatoria adplicata fuerant, quod tamen nimium videtur.

Potentissimum remedium adversus Cantharides oleum unguinosum inguinibus illinitum *b*).

a) Loco saepius citato.
b) *Moench* Materia medica 1789. p. 170.

RABIES CANINA.

§ XXX.

Terribile Rabiei caninae Miasma Vasorum absorbentium, minime Venarum sanguiferarum *a*),

a) Non ignoro, Cl. Chirurgum Anglicum *Blizard* (Goettingsche gelehrte Anzeigen 1787. Stück 89. p. 889.) et *Ludwig* Professorem Lipsiensem in versione germanica *Mascagni* p. 167. asserere: per Venas sanguiferas invadere istud venenum corpus nostrum. Neque ignoro, *Carol. Fr. Bader* germaniae Medicum

genere in corpus humanum recipi, nostris diebus amplius dubitari nequit; quoniam viri experientissimi fideque dignissimi post morsum canis rabiosi in sura *b*) manifestam glandulae popliteae *c*) intumescentiam observaverunt; et licet subito satis vulnus sanatum videretur, tamen vulnus recruduit, ita ut inflammatio, ulcus, lineaeque vel striae ad glandulas inguinales adscendentes orirentur, aegerque hydrophobia miserrime periret *d*). Glandulae axillaris intumescentiam a morsu canis rabidi in brachio vidit John Hunter Vir summus *e*).

Virus istud cutim, saliva canis rabiosi inquinatam, etiam absque vulnere penetrare, egregio exemplo demonstrat J. Tode *f*).

(Neue Theorie der Wasserscheue Francofurti 1792.) negare rabiem caninam morbum esse Systematis absorbentis. Nec ignoro, *Th. Percival* asserere, irritatione topica nervorum agere istud virus, prouti tetanus a vulnere oritur. London Medical Journal. Volumine decimo, 1789.

b) *Cruikshank* Anatomy of the absorbent Vessels, p. 117.

c) Has glandulas egregie delineatas invenies apud *Cruikshank* et *Mascagni*.

d) *William Hunter* Autore *Cruikshank* in Praelectionibus.

e) On the fifth day an absorption took place, as appeared by the swelling of a gland in the arm pit, which was followed by a considerable degree of fever, that lasted some days; but none of the symptoms of hydrophobia appeared till the usual period and after signs of a second absorption. — p. 322. The moment the poison is conveyed into the general circulation by the absorbents the symptoms begin. —
John Hunter in Transactions of a society for the Improvement of medical Knowledge London 1793. p. 318.

f) Arzneikundige Annalen, neuntes Heft 1790. Kopenhagen. Articulo 8.

E summa autem vasorum absorbentium irritabilitate patet, quam ob causam substantiae irritantes inprimis canis rabiosi venenum, osculis vasorum sorbentium applicatae non illico absorbentur *g*).

Hinc apparet etiam, cur excisio *h*), vel ustio *i*) loci laesi, tempestive administrata, solum infallax remedium haberi possit.

Neque causticum loco laeso applicatum omnino contemnendum.

Reliqua remedia vero sic dicta interna venditata pro specificis antidotis, vana, cum profecto, si etiam aliquid efficaciae contra illud miasma habeant, certo nimis parva quantitate ad locum laesum veniunt, quam ut aliquid ab illis exspectari possit.

Nullis ergo remediis praeter topicis fidem haberem.

g) Interdum hoc virus per quinque vel sex hebdomadas in cellulosa tela haeret, autore CRUIKSHANK edit. alt.

h) Solam excisionem iuvare, sex casibus comprobat *J. Foot* — In Medical Facts and Observations, Volumen third Articul. 5.

i) *Mezler* et *Johnstone*, Memoirs of the Medical Society of London 1787. Volumine primo.

ICTUS SCORPIONUM.

§. XXXI.

Observante Moseley a), ab ictu scorpionis inflicto pedis digito minimo Feminae post adplicatum Spiritum vini dolor, e pede transiit ad inguen; postea versus stomachum et collum adscendebat; tremorem deinde, sudorem frigidum, languorem, quin diarhoeam, et deliquium animi excitabat; manifesto argumento: et hoc venenum per vasa absorbentia corpus intrare.

Ligaturam strictam autem suadet, ad ulteriorem Veneni progressum impediendum b); quum notum sit, tali ligatura lymphae cursum saltim retardari, ni omnino inhiberi.

a) On tropical Diseases, p. 23.

b) Idem Consilium iam Galenus de Locis affectis Libro tertio, Capite septimo, dederat.

MORSUS SERPENTUM.

§. XXXII.

Per morsum serpentum vel viperarum communicatum generi humano venenum, hoc systemate corpus invadere, ex hoc demum perferri in Venas sanguiferas, et sanguinem coagulare, demonstrant tumores glandularum, ad quas vasa absorbentia, in loco laeso orientia, perveniunt.

Experimentis Cl. FONTANAE *a*) interim satis constare videtur, Viperarum venenum ore assumtum minime insons, sed tantum minus noxium esse, quam vulneri applicatum.

Eius Observationis varia ratio cogitari potest: etenim, dum in ventriculum demittitur istud venenum, non modo variis humoribus, v. c. saliva, succo gastrico, temperatur, sed etiam obtunditur, mutatur, et saltim ex parte iners redditur, adeo ut ex parte vera maneant, quae CELSUS habet: „*Non gustu, sed in vulnere, nocet* — et quae LUCANUS cecinit:

„*Noxia serpentum est admisto sanguine pestis;*
„*Morsu virus habent, et fatum dente minantur:*
„*Pocula morte carent.*“.

Dolendum autem quam maxime Cl. F. FONTANAM in experimentis innumeris fere, ab eo circa Viperarum venenum institutis, non attendisse ad statum glandularum sorbentium: praeter ea enim, quae Tomo primo p. 303. circa vasa absorbentia habet, et quae verbotenus hic transscribere liceat, in toto voluminoso opere ne verbulum, quidem de statu systematis lymphatici post morsum viperarum addidit.

„Je finis en rapportant en peu de mots deux „expériences faites sur deux Lapins, auxquels

a) Traité sur le Venin de la Vipère, sur les Poisons americains, etc. Florence 1781. 4.

„j'avois coupé dans le Bas-ventre tous les Vaisseaux lymphatiques, que je puis trouver, et jusqu'au canal thorachique. Une heure après cette Opération je le fis mordre aux jambes couvertes de leur peau, par trois Vipères à plusieurs reprises. Au bout de six heures, les jambes présentoient les signes les plus certains de la maladie du Vénin. La jambe étoit livide et enflée, et rendoit beaucoup d'humeur. Ils moururent au bout de dix-huite heures."

„N'espérant rien de la continuation de cettes expériences, et voyant, que l'arrêt de la Circulation de la Lymphe et du chyle n'influe point sur les effets ordinaires du Vénin de la Vipére, j'ai cru ne devoir pas aller plus loin."

At vasa lymphatica non modo nimis subtilia sunt, in cuniculis, quam ut sine subtilissima dexteritate in illa inquirere possit, sed etiam alter ductus thoracicus adhuc supererat, quem forsan incognitum tum temporis habuit Autor clarissimus.

Hinc nihilominus certi esse possumus, per vasa absorbentia in corpus animale serpere istud Viperarum venenum, cum alias vias ad sanguinem quaerere, absonum sit.

Crotali horridi virus nimis acre esse, quam ut a vasis absorbentibus nostris recipi possit, opinatur Cl. WILSON *a*).

a) On the Influence of Climate, p. 163.

VIRUS VESPARUM.

§. XXXIII.

A Vespis inmissum Venenum inflammationem tumoremque glandularum proximarum excitare, quotidie oculis nostris cernimus, prouti, si auctoritate opus esset, Assalini *a*) exempla in medium protulit.

a) Pag. 56.

PUNCTIO CULICUM.

§. XXXIV.

Punctionem copiosam culicum pipientium inflammationem veram cum rubore, tumore et dolore ciere, adeo ut vasa absorbentia cutanea ipsa striarum rubrarum adinstar sese prodant; quin et glandulas proximas in tumorem tollere, quotidiana experientia, inprimis tempore aestivo, in locis paludosis docet, adeo ut dubium nullum sit, et culicis emissum venenum hoc vasorum genus invadere.

MALUM VENEREUM.

§. XXXV.

Vasa absorbentia, accepto viru venereo, saepissime funiculorum vel chordarum adinstar turgent, et quae sub cute ex illis decurrunt,

ipso tactu et visu facile dignoscuntur, et sectionibus post mortem, foedo illo miasmate plena, manifestantur.

Pari modo et horum vasorum glandulas, accepto hoc viru, plerumque in *bubones* sic dictos abeunt; manifesto profecto argumento: *Vasis sorbentibus solis a) tribuendam esse infectionem veneream, omniaque inde mala prono quasi alveo profluere.*

Ubicunque *b*) enim miasma venereum corpus immediate attingit adeo ut vel ulcus venereum, vel gonnorrhoea, vel fluor albus oriatur, saepissime glandulae vicinae, ad quas nimirum ii trunci perveniunt, per quorum radices istud miasma irrepsit, in tumorem vulgo *bubonem* dictum tolluntur, quin ipsa ista vasa absorbentia inflammantur.

Sic ut egregio exemplo illustrat JESSE FOOTE *c*), oculorum gonnorrhoea oriebatur ab urina, qua aeger semihora post impurum concubitum oculos suos lavabat.

a) Iam omnes recentiores Pathologi in eo uno ore conveniunt: Morbum venereum in Systemate sorbenti contineri. — Confer inter multos Autores Triumviros classicos *ASTRUC*, *HUNTER*, *GIRTANNER*. Ueber die venerische Krankheit, Goettingae 1788. Capite 8. In hora editione 1793. huius operis omnia, quae ad Litteraturam pertinent, continentur.

b) Bubonem non in inguine solum, sed ubique in corpore oriri, ubi glandulae reperiuntur, BELL, System of Surgery. Volum. quinto, Cap. 38. §. 7. p. 405.

c) A complete Treatise on the origin, Theory and Cure of the Lues venerea. London 1792. 4.

Sic glandulae sorbentes prope parotidem, vel prope maxillam inferiorem, collique in lateribus sitae, tument a resorpto viru venereo, vel ex ulceribus gingivarum, linguae, palati, faucium, promanante *d*), vel ex ulceribus labiorum vel oris per osculum accepto hoc viru, vel ex poculis hoc viru inquinatis *e*).

Sic a papillarum mammae rhagadibus, scissuris, et ulceribus venereis in nutricibus tumores glandularum suppositarum basi mammarum vel axillarium observantur *f*).

Sic etiam cum lacte vel saliva mixtum virus venereum inficere, observarunt *g*).

Sic anatomicos vidi, cadavera ob veneream labem sordida lustrantes, quum infortunio vel cultro inquinato, ut plerumque fit, digitum laesissent, nonnunquam in loco affecto ulcusculo excitato, absque mercurio aegre sanabili, laborantes. Interdum vero idem virus, ulterius in brachio adscendens, vel vasa absorbentia inflammatione corripit, vel glandulam, prope

d) *Astruc* De Malo venereo. Venetiis 1748. Libro secundo, Capite tertio, p. 133.

e) Infectionem veneream per pocula communicari cum aliis posse, solidis satis argumentis et testimoniis stabilivit *Gruner*: Die venerische Ansteckung durch gemeinschaftliche Trinkgeschirre aus Theorie und Erfahrung bewiesen. Lipsiae 1787. 8. — Hunc infectionis modum vero negat *John Hunter*, loco citato.

f) *Astruc*. Loco citato, p. 122. et 317.

g) *Astruc*. Loco citato, p. 317.

processum anconeum sitam *h*), vel glandulas circa vasa sanguifera brachii sitas, in suppurationem inflammationi supervenientem vertit. In aliis vero, digito miasmate venereo valde vitiato, idem virus per truncos, nimirum non ad has neque ad alias in brachio sitas glandulas pertinentes, sed altius delatum, glandulas axillares mulctavit *i*), quinimo luem universalem excitavit *k*).

Sic infantum genitalia sauciata digitorum unguibus nutricum venerearum, isto viro foedantur *l*).

Sic vasa absorbentia Penis, a glande et praeputio orta *m*), per totum dorsum eiusdem lu-

h) *Sheldonem*, Anatomicum Londinensem, huius rei perpetuum brachio inustum vestigium gerentem vidi; glandula enim ista praeter solito maiorem duritiem et tactu et rubore cutis et cicatricula proditur. Huius rei etiam mentionem fecit *William Hunter*, Medical Commentaries, London 1777. Parte prima, p. 9. Similia narrat et *Cruikshank*. Anatomy of the absorbent Vessels, p. 27.

i) *Cruikshank*, p. 14.

k) *Swediauer* Practical Observations on the more obstinate and inveterate Venereal Complaints. Lond. 1784. p. 94. — Casum refert, quo digitus scalpello viru venereo inquinato vulneratus, ulcus mali moris, cum dolorifico et obstinato tumore glandularum axillarium, et symptomatibus universalis infectionis ciebat.

l) *A. Hinze* apud *Starke* Archiv Band 4. Stück 1. Artikel 10.

m) Vasorum sorbentium sic dicta orificia, quae non modo pinxit *Watson*: Philosoph. Transactions, Vol. 59. p. 392. sed per quae etiam virus venereum corpus absque locali affectione ingredi posse, et quorum obstructionem vel conferruminationem stillicidii aegre curabilis caussam esse scripsit, anatomicis idoneis non comprobata sunt.

dentia, viru venereo turgida usque ad glandulas superiores in bubones per illud miasma transmutatas, exporrecta digitis et post mortem etiam oculis *n*) sese offerunt. Atque hic eo melius percipiuntur, quo aptius hoc membrum ad illud experimentum exstat; non enim pinguedine, ut reliquae corporis partes, circumfunditur. Neque haec in cole tantum, sed et reliquis in partibus observantur, adeo ut virus venerei viam presso pede quasi legere possumus.

Durities ista vasorum sorbentium, viru venereo affectorum non tam, ab incrassatione tunicarum et appositione lymphae ad parietes internos eorum, quam potius ab inflammatione in telam cellulosam circumiacentem transeunte *o*), oriri videntur *p*).

Ex sententia Cruikshankii glandulae inguinales gonnorrhoea *sympathice* ab ulcusculis vero venereis (Chancres) *specifice* tument.

Interdum enim tumores glandularum inguinalium in ipso morbo venereo a sola inflammatione vasorum absorbentium oriri videntur, prouti a sola punctione digiti glandulae axillares intumescunt.

Lacunas enim glandularum mucosarum ductusque excretorios prostatae esse patet, prouti etiam *Monro* et *Cruikshank* observarunt.

n) *Stoll*, examinans viri gonnorrhoea virulenta laborantis cadaver, invenit, praeter urethrae superficiem internam rubram, et vasa absorbentia duo praeter naturam alba et distenta, Autore *Swediauer*, loco citato, p. 18.

o) Confer quae paragrapho de Inflammatione attuli.

p) *John Hunter*, loco citato.

Hinc in corporibus scrofulosis a sola irritatione virus venerei in gonnorrhoe a bubones nasci non venereos sed scrofulosos, mercuriali unguento discutiendos, arbitrantur *q*).

Facilius etiam glandulae inflammantur, quam vasa absorbentia, quoniam facilius in iis miasma venereum (vel potius lympha ab illo miasmate coagulata) stagnat; plerumque tamen magis ab aucta resorptione, quam ab obstructione, glandula in tumorem tollitur.

Neque mirum, viros facilius ulcusculis mulctari, quam feminas, quum labia pudendorum perpetuo scateant copioso muco, miasma illud partim abluente, partim temperante, partim a cute arcente.

Minus certa adhuc videtur quorundam *r*) assertio, scilicet: Sanguinem hominum venereorum, vulneri hominis sani adplicatum, siphylidem excitare.

Alio etiam modo istud virus corpus humanum exagitare videtur. Contagio nimirum iam antiquo, quod in lue venerea lympham inficit et inspissat, unde facilis eiusdem decubitus in has illasve glandulas, ubi primum frigus externum, vel ictus, attritus pressusve fortuitus idoneam dederit occasionem *s*).

Dixit MONRO *t*): Lucem veneream in coitu

q) *JOHN HUNTER*, loco citato.
r) *JESSE FOOTE*, loco citato.
s) *ASTRUC*, loco citato, p. 217.
t) De vasis lymphaticis valvulosis, Edinburgi 1770. p. 84. — Pari modo et *HEWSON*: „It is in these

impuro conceptam, in glandulis inguinalibus, supremo loco iuxta Musculi obliqui externi Abdominis tendinem sitis, haerere; dum caeteras scilicet inferiores glandulas haud, nisi rarissime, attingat; istas autem (ut iam MASCAGNI Tabulae omnium optime declarant) a genitalibus, has vero a pedibus lympham accipere; quibus adhuc addidit in praelectionibus: quodsi praeter superiores istas etiam inferiores glandulae inguinales intumescant, signum esse, virus venereum non recentissime in corpus receptum esse, sed iam e massa sanguinis contaminata in eas glandulas depositum esse, atque luem toto corpore diffusam hominem exagitare.

In gonnorhoea virorum et fluore albo feminarum, inprimis male suppressis illis turpissimis fluxibus, absque ulcusculorum in parte affecta suspicione ulla, bubones oriri, quotidiana experientia comprobat.

Minus recte id explicat HEWSON per vasa absorbentia, quae nulla salutata glandula in ductum thoracicum perveniunt.

Minus recte etiam CRUIKSHANK u) credit, glandulas in pelvi a viru venereo non inflam-

„upper glands alone, that the lymphatic Vessels of the „Genitals enter, so that the venereal bubo, is allways „seated in these upper glands, and the lower are never affected, except by the regurgitation of the matter." — In Inquiries of the lymphatic system. Capite tertio.

u) Loco citato, p. 73. et 118.

mari; saepius enim Cancrum uteri venereum glandulas pelvis male afficere vidi.

Non ideo improbabilis sententia, virus venereum prima glandula egressum, dum secunda in glandula continetur, temperari vel mitius reddi.

Cum porro sectiones docuerint, vasa absorbentia, in utroque Penis latere orta, procedendo coniungi, non mirum est, interdum bubonem etiam in latere a Cancro venereo intacto oriri, quamquam plerumque in latere affecto oriatur.

Bubone venereo (sin ulterius non processerit malum) exulcerato vel exciso *x*), saepe virus venereum brevi tempore e corpore eliminatur, et in integrum restituitur aeger *y*). — At inveterato malo et ulcere oborto, ipsa arteria femoralis arrosa, haemorrhagia aegrum subito necavit *z*).

Ad sanandum autem bubonem inguinalem frequenti experientia comprobatum habeo consilium, quod mercurium non solum buboni et inguinibus *a*), sed etiam peni ipso, vel va-

x) *Cruikshank*.

y) Mr. *Fabre* pense, que le danger de la Verole est moins grande, lorsqu'il survient aux chancres dans les glandes les plus voisines, un bubon, qui se termine par une suppuration louable et abondante — Cui assentitur *Lombard* sur l'utilité des Evacuans dans la cure des tumeurs etc. p. 101.

z) *Hunter* autore *Cruikshank*, p. 118.

a) *Bell*. System of Surgery. Cap. 38.

ginae, id est, propius locis, per quos virus corpus ingressum est, vel ad vitandam omnem ulteriorem irritationem partium affectarum, plantis pedum inunguendum suadet; tali enim modo applicatum nobile hoc medicamentum efficacius redditur, et presso quasi pede virus in itineris primo iam stadio prosequendo debellat atque vincit.

Interne autem sumtus mercurius virus venereum vix ante ductum thoracicum attingit *b*). — Plerumque enim virus istud, per genitalia in Corpus serpens, ni in ipsa via ad ductum thoracicum destruitur vel temperatur, glandulas, quas in itinere salutat, scilicet non modo inguinales, sed etiam glandulas pelvis, glandulas lumbales, glandulas renales, glandulas denique circa Aortam et Venam cavam sitas laedit, stragemque edit horrendam, eo magis timendam, quia clandestine accidit. Hinc, ni me omnia fallunt, testiculorum, hinc renum morbi, adeo frequentes in venereis, quae omnia mala vitantur, si mercurius iam ante glandulas inguinales (inunctione nimirum vel in Pene vel in Vagina vel in planta pedis instituta) virus venereum pre-

b) Satis bene Swediauer — p. 123. — suadet, non buboni ipsi venereo, sed potius paulo inferius unguentum ad discussionem inungendum esse; e situ etiam glandularum inferiorum et superiorum diverso explicat, cur non semper bubo hac methodo discutiatur. Miror autem illum Virum consilium non dedisse, ut mercurius Peni ipsi applicaretur, tunc enim certius mercurius ad omnes eas glandulas pervenit.

hendit, vel si virus remediis topicis novissima methodo adhibitis, ab ipso infectionis loco vel abluitur, vel iners redditur, vel effectus eius cohibentur.

Neque male etiam bubonis suadetur discussio cum sacсharo saturni, vel unctione instituenda *c*).

Neque contemnendum consilium mercuriale unguentum ad genua potissimum, vel generatim ad articulos inungi debere, quod iis locis et patentissimi sint vasorum lymphaticorum trunci, et cuti proxime subiacentes *d*).

Neque effectu destituitur, si, ut iam bis monui, per vasa absorbentia plantae Pedis mercurius corpus intrat *e*).

Mox autem intra paucas horas, mox aliquot post hebdomades demum, ab infectione vasa absorbentia Luem totius corporis inducunt.

Senes rarius afficiuntur miasmate venereo ob torporem Vasorum absorbentium *f*).

Digestionis organa a Miasmate venereo intacta relinqui, exemplo hominis, qui lac, in quo Penis venereus ablutus erat, comprobare studet

JOHN

c) *Bell.* Capite 38.

d) *Werner* et *Feller*, loco citato; in Praefatione.

e) Haec est methodus *Cirilloi*, Cl. Chirurgi Neapolitani; Osservazioni pratiche intorno alla Lue venerea. Neapoli 1783. — Etiam *Mascagni*, p. 23. vidit, glandulas inguinales a viru venereo affectas detumescere hac methodo.

f) *Basilewitsch.* Loco citato, confer, quae libro vom Baue des menschlichen Körpers, vierter Theil, §. 36. exposui.

John Hunter attamen omne miasma, cui aliquid admiscetur, minus nocet, ni perfecte iners redditur.

Ad debellandam Luem veneream universalem praeter methodum nostris diebus usitatissimam, per frictiones nempe mercuriales, eo magis commendandas, quum mercurius tunc in iisdem viis persequitur virus, per quas corpus irrepsit, Caroli Ludovici Hoffmanni Methodus g) laudanda venit, qui solummodo mercurium in sal versum, vulgo sublimatum, vel aqua pura solutum partibus affectis adplicat, vel remixtum cum mica panis interne ita adhibet, ut lente tantum et longiore forsan via, sed eo perfectius ab humoribus nostris solvi, iisdemque blande et intime admisceri queat.

Caeterum experientia docuit, interdum mercurialia a cute omnino non absorberi, sed a tubo intestinali suscipi, interdum vero vice versa — generatim autem mercurialium applicatio externa topica praeferenda videtur usui interno.

Suadent autem, ut sapone viliori nigro vel oleo illiniantur manus, quum corpus, venerea labe inquinatum aut corruptum, scrutandum est.

g) Vide eius tractatum: Vom Scharbock, von der Lustseuche etc. Münster 1782. — Item *Chaver* Vorschlag zur gaenzlichen Ausrottung der venerischen Krankheit. Düsseldorf 1781. 8. qui ex autoritate *Hoffmanni* scripsit.

Alii ad infectionem praecavendam unguenta mercurialia, vel lotionem mercurialem loco suspecto adplicanda suadent. Aliis videtur per alcali causticum debite dilutum quaecunque mala a venereo miasmate caveri posse *h*).

Ex his aliisque permultis, quae huc non pertinent, nostris diebus est evidentissimum: Contactum immediatum requiri ad infectionem veneream, nisi enim virus siphyliticum vel ex gonnorrhoea, vel ex ulceribus manans corpus inquinat, morbus non oritur, alia enim infectionis methodus ad fabulas aniles pertinet. — Deinde eo ipso loco plerumque se prodere, quo ista contaminatio accidit. – Tum Siphylidis fontem in vasorum absorbentium systemate esse quaerendum. – Tum merito reiectam iacere opinionem eorum, qui miasma venereum a materia gonnorrhoica et bubonibus distinguere variis annisi sunt argumentis *i*). Tum remedia topica in gonnorrhoea et ipsa Lue optima esse *k*).

h) *Kern.* Dissertatio de infallibili remedio prophylactico Siphylidis.

i) Optime hanc opinionem refutarunt *Chavet*, loco citato– *Swediauer*, loco citato, p. 20. — *Krippendorf* Praeside *Ploucquet*, Dissertatio, Leucorrhoea masculina siphylitica, Tubingae 1783. — *Metzger*, vermischte Schriften, Volumine tertio, p. 70. — *Baldinger*, pluribus locis. — *Girtanner*, loco citato — et recentissime *Jesse Foot*, loco adducto, solidis argumentis contrarium stabilivit.

k) *Girtanner*, *Metzler*, *Fritze* Handbuch über die venerischen Krankheiten. Berlin 1790.

Itaque horum vasorum cognitio vulgatissimum hoc malum non modo multo melius cognoscere, sed etiam in pricipio exstinguere et expellere, vel progressum impediendo universalem corporis labem praecavere, melius ergo etiam curare, docuit.

GONNORRHOEA A BALNEO TEPIDO.

§. XXXVI.

Aliquando in se ipso Cl. MASCAGNI observavit, cum per horas pedes aqua mersos detineret, glandulas inguinales cum dolore intumescere, ac ex glande penis tumorem exsudare, deinde capitis fluxione corripi, atque humorem salsum et acrem naribus effluere, quae phaenomena sic explicat: „Cum Pedum vasa absor„bentia insolita humoris copia obrueret, eoque „glandulae turgerent, hinc absorbentia Penis, „quae in glandulas inguinales communem habent „cum primis sui fluidi exitum, eodem difficilius „se exonerabant. Vasa sanguinea eandem humoris „quantitatem deponere pergebant; hinc vero „avehere totum non poterant vasa absorbentia, „utpote quae proprium fluidum ferebant motu „retardato; itaque ex Penis glande humor re„liquus exstillabat. Similiter cum ex abundanti „absorbentium ad pedes pertinentium absorptio-

„ne magna fluidi vis Ductum thoracicum distenderet, minime fieri poterat, quin ex hoc „pituitariae absorbentibus sinistri lateris impedimentum eccurreret. Quapropter humor in Narium cavitates a vasis sanguineis effusus neque „ab absorbentibus copiose satis absorptus in tenuis Coryzae forma effluebat *a*)."

Idem ipsi accidit, cum aër humidus in pedes aut brachia velocius incurreret.

a) Loco citato, p. 23.

SCROPHULAE.

§. XXXVII.

Adeo notum est omnibus, *Scrophulas* vel *Scrofulas* morbum esse systematis vasorum absorbentium glandularumque ad illud pertinentium, ut denominatio earum Anglis, Belgis, Germanis — *Glandular Disease* — *Klierziekte*, *Kliergezwellen* — *Drüsenkrankheit*, *Drüsengeschwulst* — inde desumta sit *a*); quinimmo a Gallis hoc morbo laborantes uno verbo quasi κατ' ἐξοχὴν Glandés vocentur. — In plerisque autem aliis morbis Corporis humani istud Vasorum genus etiam laborare, Dissertatio nostra comprobare annititur.

a) Jam BARBETTE enim de Scrophulis. Genevae 1688. scrophularum sedem in glandulas absorbentes posuit.

Quocirca non mirum, nostra aetate ab omnibus Medicis unanimiter Scrophulas pro praecipuo systematis lymphatici fere morbo habitas esse; videbant enim, iis praecipue locis occurrere istos tumores; qui scrophulae dicuntur, ubi glandulas conglobatas, id est, absorbentes sitas esse, Anatomia docuerat. Notandum tamen, saepe in iis locis se prodere glandulas aucta per morbum magnitudine, ubi in sanis hominibus ob exiguitatem non apparebant.

Optima hinc definitio scrofularum haec est: Glandularum lymphaticarum sive absorbentium intumescentia et induratio chronica ex peculiari lymphae Systematisque lymphatici vitio orta, peculiari ut plurimum corporis habitu externo comitata *b*).

b) *Carolus Georgius Theodorus Kortum* in Opere classico de Vitio scrofuloso. Lemgoviae 1789. 8. germanice Lemgo 1793. 8. — Fusius varia exposuissem, ni otium mihi fecisset iste autor, et ni in manibus omnium Medicorum librum supponerem, ex quo multa hic transscribere nefas duxi. Varia tamen ad Vitium scrophulosum retulit, quae vix ad illud pertinent.

Robert Hamilton Observations on scrophulous Affections with Remarks on Scirrhus, Cancer and Rachitis. London 1791. 8. germanice Lips. 1793.

W. Leurs Verhandeling over het Kropkliergezwellen. In Prysverhandelingen bekroont door het Genootschap der Heelkunde te Amsterdam. Eerste Deel. 1791. *Christoph Girtanner* Krankheiten der Kinder. Berlin 1794. Cap. XIX.

Confer et, quae *Jacobus van der Haar* in Libro: Proeve over de Hersenen, enz. benevens 150 Genees-en Heelkundige Waarneemingen. Tweede Druck. Amsterdam. 1790. egregie exposuit.

„In lympha inprimis“ — inquit KORTUM c) — „scrofulosum virus residere, tum ex frigida horum „tumorum (inflammationem difficillime concipien- „tium) natura, sanguineae congestioni prorsus „contraria, satis patet, tum partes, quas pri- „mario occupant, luculenter coarguunt.“

„Et Systema quidem lymphaticum — recte „monuit KORTUM d) — primariam morbi nostri „sedem constituit, virusque scrofulosum tantum „non semper primos decubitus facit in glandu- „las conglobatas sive lymphaticas. Minime vero „ad hasce solas adstringuntur scrofulosi tumo- „res, prout inepte asserit Cl. DIEL, sed si „invaluerit malum, penitiusque insederit, alius „quoque generis glandulae, quin etiam partes „non glandulosae ab eodem afficiuntur.“

Non peculiare Miasma esse, sed caussam proximam in inspissatione lymphae latere per animale acidum (Oxide), asserit TARANGET e).

Item *F. AUG. WEBER*. Von den Scropheln. Salzb. Erster Theil, 1793. 8.

c) *KORTUM*, loco citato, Tomo primo, p. 34. — Pari modo et *DE FAURA* et *CHAPPOT* pronuntiant: „Presque „tous les Auteurs reconnoissent pour cause de l'Ecrouelle „l'Epaississement de la Lymphe, dont *THOM. BARTHOLIN* „decouvrit les Vaisseaux“ — in Systeme de la Nature sur les Virus ecrouelleux, p. 32.

STREITT, in Actis Academiae militaris medico chirurgicae Viennensis, Tomo primo, asserit: „Miasma spe- „ciale esse.“

d) *KORTUM*, loco citato, p. 77. — Hinc ab ovario scrophuloso glandulas lumbales tumentes annotavit *CRUIKSHANK*.

e) In Journal de Médecine, et Chirurgie, etc. á Paris 1792. Julius. Articulo secundo.

Debile autem et relaxatum *f*) admodum Systema lymphaticum in scrophulosiis videtur, quum vasa absorbentia valdopere dilatata, et chordarum nodosarum adinstar turgentia inveniantur. „Quin et in propriis vasis — ait TOETTELMANN *g*) — lympha stagnante, tunicasque, quibus continetur, diducente, tumores, „eodem, quo in vasis sanguiferis modo varicosi „tumores generantur, oriri queunt, quo structura „vasorum lymphaticorum valvulosa multum „omnino confert; confirmante id observatione „PORTALII, qui Ductum thoracicum ac vasa „chylosa infarcta vidit."

Atoniam vasorum sanguiferorum et resorptionis imminutionem caussam proximam scrophulosae obstructionis esse *h*), alii asserunt.

Disserte hinc HEINE asserit, Lentorem Systematis resorbentis caussam scrophularum proximam esse.

A nimia ergo largitate vasorum absorbentium derivanda videtur lymphae vitiata indoles in hoc morbo *i*).

f) *BELL.* System of Surgery Capite 38. p. 571. — *I. A. GRAN* vermischte wichtige Krankenfaelle, Witteberg 1789. Articul. 13. asserit, Scrophulas a debilitate Systematis lymphatici oriri. Eadem et *BASILEWITSCH* autumat.

g) *KORTUM*, loco citato. Tomo primo, p. 65.

h) *BLIZARD* in goettingsche gelehrte Anzeigen 1787. Pag. 893.

i) *KONING*, p. 67.

Transeo glandularum tumores, qui pubertatis tempore ob lymphaticorum humorum abundantiam apparent, sponte iterum evanescunt, et erronee pro scrophulosus habentur *k*); et ad naturam glandularum absorbentium per hunc morbum mutatarum me converto.

Inveniuntur Vivorum glandulae scrophuloso morbo affectae plus minusve tumidae, indolentes, et quae cuti pnoxime subiacent, mox pallidae, mox lividae; lente admodum inflammantur, sero in suppurationem abeunt, et, si etiam suppurant, vix vel parum dolent *l*). Liceat singula prosequi.

Interdum vix visu, nec, nisi tactu, produntur glandulae scrophuloso viru tumentes; interdum vero adeo mole augentur, ut non modo corporis concinnitati noceant, sed etiam gravissima mala producant, quae diu sine universi corporis labe ferri nequeunt.

Sic observarunt a glandularum scrophulosarum colli pressione in tracheam iugulationem lethalem, a pressione earundem in Oesophagum deglutitionem impeditam *m*), a glan-

k) Monet *Kortum*, p. 268. ne talis glandularum inguinalium tumor pro bubone venereo habeatur, quod aliquando accidisse novit.

l) *Cruikshank*, p. 122. ingenue fatetur, se scrophulosam suppurationem erronee pro coagulatione chyli habuisse.

m) Huc referrem casum Infantis, quem *J. Bleuland* narrat, in Observationibus de sana et morbosa Oesophagi structura.

dularum scrophulosarum thoracis mole asthma lethale *n*).

Aliam glandulam post aliam in collo Infantis intumescere vidit Cl. LUDWIG *o*).

A glandularum srophulosarum mesenterii mole atrophiam; a glandularum in Pelvi sitarum nimia mole vel obstructionem alvi lethalem, vel partum impeditum viderunt.

Pari modo Capitis motus impeditur per glandulas scrophulosas in Collo; prouti motus Brachii a glandulis axillaribus scrophulosis, et q. s. r.

Quo magis autem volumine augentur glandularum istarum tumescentiae, eo firmiores evadunt atque inmobiliores, et cum vicinis partibus concrescunt. Cl. BERTRANDI scrofulosorum infantum cadavera secuit, in quibus glandulae colli tumentes involucro suo tam firmiter magnis Colli vasis accreverant, ut absque dilaceratione inde separari non possent *p*).

Indolentes esse glandulas scrophulosas, licet in locis, quae nervis abundant, (v. c. axilla) iaceant, non mirandum; omnis enim inflammatio lente procedens nervos sensim sensimque et suaviter quasi e loco movet, ita ut pressio vix dolorem excitare possit; omnis vero subitanea glandularum inflammatio pressione nervorum immanes saepe dolores excitat,

n) *CRUIKSHANK.*
o) Pag. 18. ad vers. germ. *CRUIKSHANKII*, Tomo tertio.
p) Confer *KORTUM*, loco citato. Tomo primo. p. 55.

Lividas esse glandulas scrophulosas subcutaneas non miror, quippe cum earum mole et sanguifera vasa increscunt, a quibus, inprimis a Venis, istum colorem accipiunt.

Invenimus in mortuorum glandulis scrophulosis lympham viscidam *q*), vel materiam caseosam, duram, plerumque in rotundis cellulis contentam *r*).

Quamvis autem hi glandularum tumores vulgo *obstructiones* vocantur, nihilo secius tamen non credendum est, *inpervias*, sive *vere obstructas* esse eiusmodi glandulas, saepius enim saltim mercurio pervias eas reperi, quo circa et hic, quae in paragrapho de Empyemate notavi, conferenda erunt.

Carie sive ulcere ossa scrophulis laborantium exedi, quotidie videmus, quae ossa in scrofulosis affici, existimat White *s*), laeso per vim externam aliave ratione periostio; inprimis lympham ex rupto vasa lymphatico inter os et periostium destillantem ex frequentissimis caussis esse credit, quae corruptioni ossiculorum digitorum in pueris ansam suppeditant.

Neque materies ex ulceribus scrophulosis benignis effluens, inquit Kortum, *contagiosam vim habet id quod ex nonnullis a me institutis*

q) Kirkland. Volum. secundo, p. 452.

r) Cruikshank. Loco saepius citato.

s) Confer *White.* Ueber Scropheln, pag. 46. — et Kortum, loco citato, Tomo secundo, p. 297.

tentaminibus apparet. Quippe materiem ex talibus ulceribus desumtam puello sano ad latus colli integra cute infricavi, alii vero puero cuticula exiguo vulnusculo, velut in variolarum insitione fieri solet, disrupta, itidem in superiori colli regione, nempe infra et pone processum mastoideum applicavi — et ne ullam quidem inde observare potui morbi communicationem. Nemo dicat audacula haecce tentamina, cum firmissimis indubitatisque rationibus essem persuasus, nullum inde damnum pueris subnasci posse t).

At enim vero, si materies scrofulosa insigniter depravata, corrupta et quasi exaltata est, tunc aliter se res habet.

Hinc etiam remedia aptissima antiscrophulosa in illud potissimum vasorum Systema agunt, v. c. Barytes, s. p. *u*).

t) Loco citato, Tomo primo, p. 21. — Confer et, quae in paragrapho de supqruratione et ulcere scrophuloso attuli.

u) Die Schwererde wirkt vorzueglich auf das lymphatische System in die Druessen, und vermag durch vermehrte Thaetigkeit des lymphatischen und Druesensystems die Resorption zu vermehren, Stockungen und Verhaertungen zu zertheilen, und die zaehe Lymphe zu verduennen. Vide *Hufeland*, p. 8. et inprimis *A. Crawford* in Medical Communications. Volumine secundo 1790. Articulo 25.

RHACHITIS.

§. XXXVIII.

Potentiam vasorum absorbentium ad Rhachitidem procreandam, data opera peculiari et eleganter scripta dissertatione recentissime exposuit Cl. Heine a), hisce fere in compendium a me contractis Verbis, ingeniose comprobat.

Rhachitidis Caussam proximam esse actionem Vasorum absorbentium auctam.

Rhachitis id prae reliquis — inquit — morbis peculiare habet, quod aetatem infantilem inprimis infestat. Conditionem itaque quandam adultis deficientem infantum corporibus inesse, qua, ut in morbum hunc irruant, apta reddantur.

In genere autem eo laxior, debilior et succulentior est corporis humani compages, quo propius origini suae, eo firmior vero et densior, (et aridior, adderem) quo magis ab illa recedit. Aetate infantili itaque solida mollia et laxa sunt — ossa multum a duritie absunt, quam provectiori aetate nanciscuntur.

Praeter solidorum hance debilitatem insignis etiam est universi corporis infantilis irritabilitas, ut stimuli levissimi vehementissime saepius illud convellant.

a) *Ernestus Fridericus Guilielmus Heine*, Dissertatio inauguralis de vasorum absorbentium ad rhachitidem procreandam Potentia, Goettingae 1792. 4.

Omnium autem partium corporis infantilis, uti Cl. KORTUM recte monet, longe debilius est Systema lymphaticum, simul autem et irritabilius: Functio enim huius Systematis longe sollemnior et maioris momenti in infantibus ac in adultis est, quod liquorem vehit nutritioni dicatum, qua illi, qui adhuc in incremento sunt, magis quam adulti indigent, qui restitutione solum amissi opus habent; hinc etiam egregie explicat, cur iuniores praesertim morbis Systematis lymphatici laborent.

Nonnulli Auctores inter quos CULLEN, observarunt, irritabilitatem hancce et ad spasmos proclivitatem hominibus rhachitide quondam correptis per omnem reliquam vitam inhaerere.

CAPPELIUS in cacochymia acida proximam Rhachitidis caussam ponit. Acidum enim in primis viis generatum, et a vasis lacteis susceptum chylum et sanguinem inspissare, omnibus symptomatibus in rhachitide conspicuis ortum praebere, ipsaque ossa emollire arbitratur. Sin autem naturam acidi irritantem et oeconomiam corporis humani, irritamenta quaecunque aversantem recte contemplemur: haud satis firmo talo sententiam hancce inniti apparebit. Acidum enim, in primis viis exortum, vasorum lacteorum initiis, summopere irritabilibus, difficillime sane excipiatur; sin autem mitior et dilutior eius pars cum chylo tandem absorbeatur, ob longum tamen per vasa lymphatica et glandula-

rum anfractus iter ita subactum et commutatum erit, ut, si sanguini demum advehatur, naturam suam iam plane exuerit, et ossibus emolliendis haud amplius sufficiat. Hoc ita esse, tot infantes et adulti nos docent, qui, licet acido misere vexentur, rhachitide tamen non corripiuntur. Non intelligo insuper, quare in infantibus tantum nec in adultis etiam vis haecce rhachitidem procreandi acido insit; qui demum fieri possit, ut tot et tam variae caussae, quibus saepe nulla acidi gignendi vis inest, morbo huic ansam praebere possint? *b*)

Constat, Partes solidas non omnes aequaliter vim vasorum absorbentium sentire, sed quasdam prae reliquis et inter illas ossa praesertim illorum actioni exposita esse, ita nempe, ut materia calcarea ossium continuo tramite a vasis absorbentibus recipiatur, ab arteriis autem eodem modo perpetuo restituatur. Sin autem actio vasorum supra modum augetur, adeo quidem, ut plus excipiatur, quam iterum restitui possit, fieri aliter non potest, quam, ut in multis partibus defectus quidam, et in ossibus praecipue materiae terrestris defectus appareat, quae dum ex ossibus educitur, et robur duritiemque istorum secum aufert, ossa mollia et flexilia relinquat, necesse est. Per se autem iam patet, hoc eo facilius et citius fieri posse, quo magis ossa

b) *E. F. G. Heine.* Loco citato, p. 26.

adhuc in eo statu sunt, ubi crescunt, materia calcarea primum replentur, ideoque potissimum illa indigent.

Haud male autem haecce, ni fallor, in rhachitidem quadrant. In omnibus enim partibus, in quas vasa absorbentia magis minusve in statu sano agunt, in morbo hocce maior minorve defectus percipitur. Simulac enim morbus incipit: cutis flaccida et rugosa evadit; musculi marcescunt et attenuantur, omnesque partes, quae vel adipe vel lympha exsudata turgidae esse solent, illis sensim sensimque privatae collabuntur, et insignem post mortem depletionem, qualem praecipue tela cellulosa subcutanea et omenta, demonstrant. Morbo paullulum progresso, in ossa inprimis saevire incipit, materia calcarea nempe educitur, unde extrema ossium ob minorem in fluida irruentia resistentiam intumescunt, et corpora istorum, rigiditate privata, vi cuicunque cedunt, flectuntur et recurvantur. Quin dentes eroduntur et germina, secundae dentium seriei formandae destinata, iterum destruuntur, quae caussa esse videtur, ut priores dentes elapsi saepius non restituantur. Sin autem insignem harum partium depletionem et destructionem recte consideremus; si perpendamus, quam levis sit partium corporis infantilis cohaesio et nexus, quanta contra vasorum absorbentium hac aetate irritabilitas, et quam levis ideo stimulus ad illa com-

movenda requiratur; non me nimium conari, patebit, si auctae horum vasorum actioni quamplurimnm ad hunc morbum procreandum imputem. Hoc eo verosimilius evadet, si observationum rationem habeamus, quae de systemate lymphatico in rhachitide factae exstant. Callisen *c*) nempe illud in hominibus, rhachitide necatis, valde amplum invenit, ideoque non exiguam in hoc morbo personam agere, non dubitat. Kortum *d*) insignem analogiam rhachitidem inter et scrofulas (morbum systematis lymphatici) monstrat, facileque unum ex altero enasci docet.

Büchner *e*) undecim narrat infantes, qui ab una scrofulosa matre procreati ideoque forsan peculiarem systematis lymphatici conditionem nacti, omnes rhachitide corripiebantur. Exemplum, quod inprimis resorptionem materiae calcareae ossium ope vasorum absorbentium demonstrat, Fries *f*) exhibet. Rhachiticae enim mentionem facit, cuius vasa lymphatica circa vertebras praecipue ita materia calcarea indurata erant, ut scalpella anatomica inde obtunderentur.

c) Principia systematis Chirurgiae hodiernae. Volumine secundo, Capite de Rhachitide.

d) Loco citato, p. 236. et seqq.

e) Dissertatio de Rhachitide perfecta et imperfecta. Argent. 1754. — Recusa in *A. Halleri* collect. disput. pract. Volumine sexto, p. 235.

f) De emollitione ossium.

tur. Nonnulli etiam concretiones calcareas vel in glandulis lymphaticis *g*) ipsis vel etiam in aliis partibus invenerunt *h*).

Varia quidem exstant phaenomena, quae ex aucta vasorum absorbentium actione derivari nequeunt, quo inprimis referenda est ingens proclivitas ad acidum primarum viarum, vermes, pituita, et sic porro. At bene considerandum est, semper fere debilitatem totius corporis, praecipue primarum viarum simul adesse, quae horum omnium ortui lubentissime favet. Aliud adhuc adest symptoma, quod theoriam hancce funditus fere evertere videtur, cerebri hydropem puta, qui nempe languoris quasi vasorum absorbentium speciem prae se fert. Interea tamen hydropis huius caussam ex alio fonte derivandam esse arbitror ex ingenti scilicet sanguinis versus caput congestione, ideoque vel ex statu cerebri inflammatorio inde oriundo, vel ex compressione vasorum lymphaticorum in foramine lacero et canali carotico *i*), ab inflata vena iugulari et arteria carotide interna repetenda, vel etiam ex utraque caussa simul.

Ut autem actio vasorum absorbentium augeatur, duo omnio requiruntur: 1) irritabilitas

g) *Fries*, loco citato.

h) *Tacconi* in Comment. Academiae scientiarum et artium Bononiensis, Tomo quinto, Parte secunda, p. 81. — Comment. Lipsiens. Vol. decimo octavo, p. 589.

i) *Paulus Mascagni*, loco citato.

vasorum absorbentium aucta; 2) Stimulus, qui in ista agat, motumque istorum acceleret.

Corpus infantile insigni irritabilitatis gradu gaudere, satis iam constat; illam autem in systemate lymphatico inprimis conspicuam esse, ex praemissis apparet. Quo irritabilius autem hoc: eo rapidior eius actio, eoque leviori stimulo opus est, ad illam enormem reddendam. Aetatem infantilem itaque iam per se, omnesque insuper caussas, quae corpus et praecipue systema lymphaticum irritabile reddunt, ad hunc morbum disponere posse, in aprico est. Reddunt autem irritabile non solum istae, quae stimulo quodam perenni in illud agunt, sed etiam quaecunque debilitant, et hinc mirum non est, quod debilitas corporis caussa proxima huius morbi a plurimis hucusque putata est.

Haec dispositio vel post partum primum exoritur vel etiam haereditate acquiritur.

SCORBUTUS.

§. XXXIX.

Scorbutus, secundum Ioan. Ioachim. Hachstedt *a*) sententiam, est morbus systematis vasorum absorbentium et receptaculorum corporis nostri, ubi ob horum organorum debilitatem

a) Dissertatio inauguralis de scorbuto. Göttingae 1792. Pag. 17.

fluida excreta et secreta stagnant, acria redduntur, quin ad putrefactionem prona fiunt.

Ni me omnia falluut, in scorbuto brevi interdum satis temporis spatio ipsa durissima ossa ita male afficiuntur, ut emolliantur, dum partes eorum solidiores per vasa absorbentia auferuntur. Hinc nascuntur ipsae fracturae sic dictae ossium *spontaneae* vel *a caussa interna*, quarum famigeratissimum exemplum GOODWIN *b*) descripsit, et nitide BONN *c*) delineavit.

Alia forsan data occasione demonstrabo, Scorbutum adfinem, ni perfecte eundem, esse morbum in adultis, quem in infantibus *Rhachitidem* appellant, a similibus caussis produci, et similibus sanari remediis; alterum tamen morbum ab altero differre eadem prorsus ratione, qua infantile corpus differt ab adulto corpore.

Recte me hercle docet FR. THOMSON *Essay on the Scurvy*, London 1790. scorbuti caussam inprimis in humiditate partis internae navis quaerendam esse.

Interim non absonum erit, ad caussam scorbuti proximam referre actionem vasorum absorbentinm auctam.

b) London Medical Journal for 1787. Parte prima, — et European Magazine 1787. May. p. 329.

c) Tabulae ossium morbosorum, Tabula Vigesima. Figura 2.

Natura acrimoniae rhachiticae — inquit ERNESTUS CHRISTIANUS BÜCHNER *d*) — non multum differt ab illa Scorbuti.

d) Observationes et epicrisis circa quosdam ossium morbos. Wirceburgi 1793. p. 9.

TINEA CAPITIS.

§. XL.

A Tinea Capitis glandulae Collis intumescunt *a*).

Etiam a reliquis morbis cutaneis chronicis, v. c. Scabie, Herpete, Impetigine, Jonthis, et quae sunt reliqua, cuiuscunque generis et indolis glandulas saepe intumescere, pervulgatum est *b*).

Recte hinc ISENFLAMM *c*): Dum efflorescentiae cutaneae partem capillatam in pueris occupant, vel saltem imminent, vix non semper glandulae lymphaticae Colli plus minusve vehementer turgent, iamque aniculae, imminere achores, praedicunt, aut hos non prius disparituros, quam hi tumores glandularum evanuerint.

a) *KIRKLAND.* Loco citato. p. 484. *ROB. HAMILTON* on scrophulous Affections London 1791. p. 196. *LUDWIG* in vers. germ. *CRUIKSHANK*, Band 3. p. 18.

b) *KORTUM.* Loco citato, p. 273.

c) Dissertatio de Absorptione morbosa. §. 21.

PLICA POLONICA.

§. XLI.

Propria experientia parum tantum de hoc morbo eruditus, liceat aliorum suffragia in medium proferre.

Plicam polonicam — inquit KORTUM *a*) — antecedere solent et comitari glandularum tumores scrofulis similes. VICAT, annunciari, ait, plicam ante aliquot septimanas, vel menses, quin integros annos, antequam erumpat, variis tumoribus, glandularum obstructionibus, scrofulis ulceribus; — ut omittam aliorum, qui ipsi hunc morbum observarunt, Autorum testimonia, notissimam rem confirmantia.

Pari modo et recentissimus Autor classicus de hoc morbo F. L. de la FONTAINE *b*) tumores glandularum a foedissimo hoc miasmate annotavit.

Neque dubium est, etiam hoc miasma per vasa absorbentia corpus humanum invadere, cum secundum eundem Autorem insitionem cum successu saepius instituerunt Medici.

a) Loco citato. Tomo primo, p. 272.

b) Chirurgisch - Medicinische Abhandlungen verschiedenen Inhalts, Pohlen betreffend. Breslau 1792. 8.

ELEPHANTIASIS.

§. XLII.

Glandularum lymphaticarum Colli tumores coram video in adolescente Elephantiasi perfecte tali laborante, qualem descripserunt et delinearunt STALPARTUS VAN DER WIEL a), et *Autor anonymus b*). Cutis brachiorum sive potius epidermis huius adolescentis adeo similis est epidermidi elephantinae, ut, dum utramque compararem, in natura, ut dicunt, parum discriminis cernerem.

Recte ergo KORTUM c) adnotat: Leprosi vera Laborantes tumoribus glandularum per totum corpus (Autoribus GILBERT et GORDON) obsidentur, quos ad scrofulae genus refert, et tuberculis glandulosis porcorum analogos censet SAUVAGES. Quin BIERCHEN nondum extra omnem dubitationis aleam positum esse censet, anne Elephantiasis scrophulosae indolis sit, et Siphylidis Caussis accessoriis iunctae progenies habenda.

Certe, quod me attinet, BIERCHENIO assentiri, nullus dubito, quum etiam idem ille adolescens,

a) Observationum Centuria secunda. Pag. 374. Tabula 11. et 12.

b) In Actis medico chirurgicis Academiae militaris Viennensis, Tomo primo, pag. 369. Tabula octava et nona.

c) Loco citato. Tomo primo. Pag. 273.

cuius supra mentionem feci, vestigia nonnulla dispositionis scrofulosae gerat.

Contagiosam esse, plurimi affirmant *d*).

d) *Frank* Medicinische Polizey. Pag. 55.

ULCERA CRURUM.

§. XLIII.

Caussam ulcerum crurum saepe in vitiis systematis absorbentis latere, suspicatur Rowley *a*); neque id sine caussa.

Etenim ad sanationem omnium ulcerum partes suas conferre vasa absorbentia, non improbabile videtur. — Ut enim reliqua taceam, istorum vasorum actione vel ipsum pus laudabile dictum paratur; praeter eam partem enim puris, quae in auras avolat, istam spissitudinem acquirit pus, dum vasa absorbentia partes eius tenuiores avehunt.

a) Seventy four Cases. London 1779. in Introductione.

CARCINOMA.

§. XLIV.

De atrocissimo malo, *Scirrho* et *Carcinomate* nimirum, paulo fusius agere liceat; omnibus nimirum, quae ad diri huius morbi naturam illustrandam conferre possunt, notatu dignissimis, si fidis observationibus nituntur, eo libentius autem addam meas circa hunc morbum animadversiones respectu vasorum absorbentium, quo maiori diligentia atque cura ad indolem eius veram penitius cognoscendam semper usus sum, et quo freqnentius auxilium a me petierunt, commiserationemque excitarunt meam hoc malo laborantes.

Primo in hoc morbo systema vasorum absorbentium affici, iam uno ore confitentur omnes Medici et Chirurgi *a*).

a) Principes ex illis tantum nominare liceat: — *Assalini*, loco saepius citato. — *Bell*, loco citato. — *Pehr. Bierchen*; Intraedes Tal om kaerftskadors scrophuloese och veneriske Saers och Svullnaders igenkanaande. Stokholm 1778. 8. — *Petrus Camper*, Over den waaren Aart der Kankerwording, 1779. 8. — *A. Crawford*, in Philosophical Transactions, Volumine 80. vel in Medical Facts and Observations, Volumine secundo 1792. Articulo 13. — *G. Coopmanns* in Neurologiae Editione Franequerensi 1789. 8. in Praefatione. — *Cruikshank*, loco citato. — *Haase*, loco citato. — *Hewson*, loco citato. — *Justamond*, Treatment of Cancerous and Scirrhous Discorders. London 1780. — *Mascagni*, loco citato. — *G. Prochaska*, Annotationes academicae, Fasciculo secundo, p. 58. — *Swediauer*, loco citato. — *Werner* et *Feller*,

Vasa absorbentia enim, quae in parte carcinomatosa oriuntur, non modo ichore turgescunt, sed etiam glandulas illas, ad quas abeunt, in tumorem tollunt *b*).

Scirrhum autem a *Scrofula* et *Carcinoma* a suppurante et exulcerata *Scrofula* sollerter distinguere oportet. Tanta enim horum malorum est similitudo, ut saepissime confundantur, et de Cancro scrofuloso verba faciant Medici *c*).

1) Sedes mali toto coelo diversa; *Scirrhus* enim est morbus glandulae conglomeratae secernentis, verbi caussa: Mammae, *Scrofula*, ut vidimus, glandulae absorbentis.

2) Tota natura scirrhi et scrofulae diversa. In *scirrho* vasa secernentia et sanguifera obstruuntur, clauduntur, et penitus coalescunt, adeo, ut praeter remotionem scirrhi vel suppuratione naturali et exterminatione, vel cultro, aliud remedium fere cogitari nequeat. — In *scrofula* vasa absorbentia debilitantur, infarciuntur, intumescunt. Hinc liquet, cur scirrhus multo periculosior sit scrofula.

3) *Scirrhi* superficies plerumque gibberosa; *scrofulae* glabra.

loco citato. — *A. van Wy*, Heelkundige Mengelstoffen. Amsterdam 1784.

b) Scirrhosos vocat istos tumores glandularum ichore absorpto ortos *A. Crawford*.

c) *Lerche* Dissertatio de Cancro. Goettingae 1778. scirrhi scrofulosi mentionem facit.

4) *Scirrhus* lentius *scrofula* oritur; licet eadem causa; verbi causa: vi externa, percussione, lapsu, et scirrhus et scrofula generantur.

5) *Scirrhus* saepe solus in corpore latet; *scrofula* vero raro sola adest, sed aliis scrofulis sociatur.

6) Scirrhus et cancer saepe cum partibus ferruminantur, adeo, ut immobiles reddantur, scrofula vero a partibus vicinis soluta et mobilis manet.

7) Semper caussam quandam internam in scirrho adesse debere arbitrantur van GESSCHER *d*) et LEURS *e*).

8) Scirrhus nullo remedio noto cedit, quod omnino non mirum videtur consideranti, nullo remedio vasa clausa reserari posse? Scrofula saepe remediis cedit, et imminuitur, vel tollitur.

9) Scirrhus durior est quam scrofula.

10) *Scrofula* inprimis infantes et adolescentes; *scirrhus* viros et feminas quadragenarios vexat.

11) *Scirrhus* denique in carcinoma abeuns tenuem, nigricantem, foetidum ichorem corrosivum stillat, ichor vasa arrodit, quae sanguinem effundunt, et summis doloribus comitatur, et, ni cultro vel caustico tollitur, mortem infert.

d) Heelkundige Mengelstoffen.

e) Prysverhandelingen bekroond door het Genootschap ter Bevordering der Heelkunde te Amsterdam 1791. Eerste Deel.

Scrofula exulcerata pus bonum, blandum largitur et absque doloribus fertur, et sponte saepe sanatur.

Mirum profecto, ichorem adeo acrem, ut partes, quas alluit, corrodat, nihilosecius a vasis absorbentibus suscipi!

Sic ipse heu nimis frequenter vasa absorbentia Mammae, vel cancro occulto vel iam aperto laborantis, ichore tenui, ex atro livescenti, turgida, varices fere mentientia, reperi. Neque haec in corporibus cancro peremtorum solummodo, sed in ipsis etiam recentissimis mammis carcinomatosis, a quibus cultro vivos liberaveram, animadverti.

Sic in carcinomate oculi vasa absorbentia in angulo maxillae inferioris decurrentia ichore turgida visa sunt.

Sic in carcinomate labii inferioris, in carcinomate linguae *f*) saepe numero glandulas in lateribus colli sitas tumidas vidi.

Et quisnam Medicorum a Carcinomate Mammae glandulas axillares tumidas non vidit?

In viro, cui testiculus sinister cancrosus exstirpatus fuerat, glandulam lumbalem ad magni-

f) Semel scirrhum Linguae cultro sanatum vidi in Virgine adhuc viventi; semel sanavi scirrhum linguae Cicuta et Mercuris, nimis frequenter vero Cancrum Linguae, omnia remedia venditata respuentem, non nisi morte finitum vidi. Enormes glandularum Colli tumores produxerant ista carcinomata, quorum aliquot specimina adhuc servo.

tudinem Capitis infantis neonati auctam vidit Cruikshank *g*).

A Cancro inguinali fere omnes glandulas abdominis tumidas reperit de Man *h*).

In Scirrho *i*) et Carcinomate Uteri glandulae in pelvi et circa vasa iliaca sanguifera sitae intumescunt.

Hinc non miror, glandulas Mesocoli et Mesorecti saepius, ac glandulas Intestinorum tenuium scirrhis et carcinomatibus affici *k*), quippe communicationem alunt hae glandulae cum vasis absorbentibus genitalium, prouti egregie admodum id exhibent icones praestantissimae Mascagni.

Glandulas Mesocoli et Mesorecti non adeo facile ac Mesaraicas in scirrhos abire, est annotatio Cruikshankii.

Justamondio *l*) tamen assentiri nequeo, qui cancri originem ab insectis vel germinis in-

g) Anatomy of the absorbent Vessels. Pag. 124.

h) Verhandelingen van de Hollandsche Maatschapge der Wetenschappen. XV. Deel. p. 150.

i) In scirrhis uteri bis glandulas sorbentes iliacas mediocris pugni magnitudine tumentes vidit *Prochaska*, loco citato. p. 58.

k) Ibidem, p. 122.

l) I have long suspected, that the Cancer was produced from insects, or the germana of them, taken up from the air by the lymphatic Vessels, and that in instances of scirrhous tumours, these germina remain in an inanimate state, till some accidental circumstance brings them to life. This has appeared to me, to constitute the ulcerated state of the Disease. — Loco citato. Pag. 65.

sectorum per vasa absorbentia ex aëre arreptis derivat. Saepius enim vel contusionibus vel pressionibus glandularum secernentium, vulgo conglomeratarum dictarum, ortos scirrhos in feminis non modo sed etiam viris novi.

Sic PETRUS CAMPER *m*) a contusione Mammae cancrum nascentem in flore aetatis feminae vidit. — Sic in iuvene cancrosam mammam a contusione ense globulo armato facta observavit.

Sic vestes arctae, Thoraces abominabiles, feminarum, Mammas scirrhosas *n*) reddunt consentientibus omnibus attentis observatoribus.

Sic labii carcinoma ibi frequentissimum, ubi homines fistulis tabacinis indulgent; labium inferius enim solummodo carcinomate corripitur, quoniam inter fistulam tabacinam et dentes comprimitur.

Glandularum autem absorbentium tumor viru carcinomatoso obortus, etiam remoto per cultrum foco carcinomatoso malum recrudescere facit, adeo ut plerique chirurgi carcinoma insanabile iudicent, simulac glandularum absorbentium tumorem excitavit.

Sic BIERCHEN Cancrum Mammae insanabilem declaravit, simulac glandulae axillares tument.

m) Dissertatio de agendi vel exspectandi in medicina ratione.

n) Confer Dissertationem meam: Von der Wirkung der Schnuerbrueste. Berlin 1793. 8.

Sic Camper Cancrum Mammae insanabilem declarat, simulac aegri dolorem in glandulis absorbentibus inter cartilagines costarum et ossa sterni sitis sentiunt; remota enim etiam Mamma carcinomatosa ex his glandulis, quas nempe culter attingere nequit, recrudescere carninoma vidit.

Confirmarunt Camperi animadversiones inprimis inter alios van Wy et Coopmanns *o*).

Sed audiamus ipsum autorem.

„Alle Geneesmeestres"— inquit Camper *p*)— „hebben zig, zoo veel my bekend is, alleenlyk „toegelegd op het onderzoek der Klieren van den „Oxel en van den zydelingschen omtrek der „Mam, en de Afzetting dan alleenlyk afgeraa- „den, wanner deeze angedaan of opgezet waren. „Dog hieromtrent is hunne hoop dikwerf verydeld „geworden, om dat de Kanker, ofschoon deeze „Klieren op een allernauwkeurigst onderzoek „geheel vry gekend wierden door allerkundigste „Mannen, evenwel weder ontstak of in de byna „geneezene Wonde, of kort naa dat het wond- „teken geheel volkoomen was, of in de andere „Mam op nieuws hevig woedde, gelyk door „Triller en anderen is waargenoomen."

„Geene Gelegenheden hebbende laaten voor- „bygaan om deeze Ongemakken en derselver uit- „komsten te zien en naa te gaan, vond ik *één*

o) Locis supra citatis.
p) Over den waaren Aart der Kankerwording. p. 7.

„*Teken* altoos *nadeelig*, ofschoon de Oxel, en „andere Klieren ter zyde van de Mam geheel „vry waren: namelyk, *de stekende Pyn op die „plaats van de Borst, daar de inwendige Mama-„ders tussen de tweede en derde Ribbe naar bui-„ten, en naar de Mam, loopen.* Zoo dikwerf „de Lyderessen op die plaatse steekende, en „dikwyls wederomkoomende Pynen gevoelden, „zag ik'er den Kanker op nieuws weder uit bot-„ten, ofschoon de afzetting door de allerkundig-„ste Hand verrigt was geworden."

„Het is dit teken, 't welke ik kann zeggen „my nooit bedroogen te hebben, ofschoon ik „te vooren niet, gelyk als nu, in staat was den „zaamenhang uit te leggen."

„Derhalven wordt 'er vereischt alvorens tot „het mes overgegaan wordt, dat men Onderzoeke; „*voor eerst*, of het knoest - en kreeft - gezwel „van inwendige Oorzaaken afhange? *ten twee-„den*, of de Schyf van de Mam wel los zy? *ten „derden*, of de Klieren van den Oxel, boven „het sleutelbeen, van den Hals, en wel in-„zonderheid of de Klieren, die de uitwendige „Mamaders verzellen, volkoomen vry zyn? En „*ten laatsten*, of de steekende Pyn zig dikwyls „laat gevoelen op de aangeweezene plaatze tus-„sen de tweede en derde Ribbe niet verre van „het Borstbeen."

„Wanneer dan dit laatste plaats heeft, of-„schoon de vorige Klieren gezond zyn, moet

„men volstrekt nooit de Borst met het mes aan„raaken."

g) Journal de Medecine à Paris 1790. Juin. Idem ibidem 1792. Mart. Confer et *Schreger* Beitraege. Tomo primo, pag. 238.

h) Loco citato.

i) Ueber die Lungenschwindsucht. Leipztg 1790. 8.

k) Practical Observations and Consumptions. §. 1.

l) Glandulas colli inferiores intumescentes in phthisicis iam observarunt *Sydenham* — Opera. p. 793. de *Haen* — Rationis medendi Parte tertia, p. 187. — inprimis et *Brillouet* Journal de Medecine, 1777. Nov. — et *Portal* Memoire de l'Acad. des Scienc. à Paris 1780.

Quinimmo in vasis absorbentibus pulmonalibus phthisicorum pus verum inventum est *m*).

In phthisicis ex ulcere pulmonum peripneumonia (in qua praeter visceris infarctum frequenter cito gignitur suppuratio), vomica, empyemate, et sic porro, a pure resorpto aliisque miasmatibus obstructae glandulae intumescunt, inflammantur, et insuppurationem abeunt.

Remedia ergo non solum morbo primario, sed etiam partibus systematis lymphatici adfectis, prudenter adplicanda. Cum vero obstructarum glandularum actio vel tota, vel ex parte intercipitur, indeque stases in pulmone et aquarum collectiones in thorace enascuntur, remedia in glandulas quo tendunt pulmonum vasa absorbentia, recta ferenda sunt. Id optime efficitur, medicamentorum in vapores redactione, ut inspiratione ad amplissimam pulmonum superficiem perveniant *m*).

m) *Mascagni*, loco citato. — Confer Caput de suppuratione.

n) *Mascagni*, loco cit. p. 112.

SPUTUM NIGRUM.

§. LIII.

Sputum nigrum a glandulis absorbentibus, prope Tracheam sitis, plerumque nigrum colorem gerentibus, interdum provenire videtur.

Vidit Editor Dissertationum selectarum pro usu Medicorum practicorum *a*) revera eiusmodi glandulam in Tracheam apertam adeo, ut e glandula in hunc canalem materia ista promanaret.

a) Sammlung auserlesener Abhandlungen fuer practische Aerzte. Tomo sexto, p. 235.

MALUM HYPOCHONDRIACUM.

§. LIV.

In hominibus vitam sedentariam viventibus vasa absorbentia viscerum abdominalium a situ corporis flexi comprimuntur, lympha chylusque in glandulis retardantur, et obstructio glandularum oritur Autore Basilewitsch.

TABES.

§. LV.

In tabe confectis optime conspiciuntur vasa absorbentia intestinorum, cum nihil adipis intestinis inesset; quare ex tali subiecto haec vasa pinxit I. D. Santorini *a*).

Sic in Viri cadavere, qui lenta febre perierat, cum hepatis, lienis, pancreatis, glandularumque mesentericarum obstructione, viginti post horas inciso, vasa chylosa ob residem chylum evidenter et perspicue iam apparebant Ioanni Fontana *b*).

Mascagni *c*) autem vasa absorbentia et cellulas glandularum corrugatas et coarctatas, cum duritie maxima, et decremento glandularum, in tabidis vidit, praesertim in glandulis mesentericis.

Emaciationem etiam partis cuiusdam sive topicam actione vasorum absorbentium aucta oriri posse non improbabile videtur *d*).

a) Tabula posthuma decima tertia, Figura secunda, p. 154.

b) Dissertationes anatomicae, Taurini 1745. — Dissertatio quinta, p. 176.

c) Loco citato, p. 54.

d) *Valli* on Animal Electricity. Lond. 1793. pag. 309. teste *Morgagnio* nempe, in hydrophobia partem corporis quandam emaciari, reliqua corporis pinguedinem retinente.

STILLICIDIUM LACRYMARUM.

§. LVI.

Oculus lacrymans et Nasus stillans a functione Vasorum absorbentium debilitata provenit Autore Basilewitsch.

CATARACTA.

§. LVII.

Post depressionem Cataractae Lentem obfuscatam totam absumtam animadvertit Pott; id autem actione Vasorum absorbentium fieri verosimillimum est.

DENTITIO DIFFICILIS.

§. LVIII.

In Dentitione difficili ab inflammatis alveolis Dentium et gingivis saepissime, ut vulgo notum est, Colli glandulas intumescere et dolere, iam in Inflammationis generali consideratione notavi.

Cavendum hinc, ne isti tumores perperam scrophulosi habeantur.

HERNIA.

§. LIX.

Vasa Intestinorum, vulgo chylosa, in intestinis hernia devolutis diducuntur, vel varicosa redduntur, adeo, ut, si mercurio repleantur, pennae columbinae diametrum superantes, simul contortae, quasi et conglomeratae deprehendantur, cuius elegantissimum specimen Monro Edinburgi servat, et (quantum quidem novi) inedita adhuc tabula exhiberi curavit, quam apud illum vidi.

CIRSOCELE.

§. LX.

In Cirsocele Vasa absorbentia maximam tumoris partem constituere, autumat Basilewitsch *a*).

a) Loco citato.

CALLUS VENTRICULI.

§. LXI.

An Callus Ventriculi a Vasorum absorbentium actione impedita, opinabatur Petrus Camper in colloquio mecum habito.

DIARRHOEA.

§. LXII.

Diarrhoeam oriri ab aqua ex aëre humido absorpto, suspicatur BASILEWITSCH.

FLUXUS COELIACUS.

§. LXIII.

A resorptione chyli impedita fluxum sive passionem coeliacam derivat HAASE *a*); parum vero me intelligere, quomodo id fieri possit, lubens confiteor.

In fluxu coeliaco enim chylum evacuari, ne cogitari quidem posse, mihi videtur, prouti VOGEL validis argumentis stabilivit in propria dissertatione *b*); docuit nimirum:

1) Recentiores Compendiorum Autores perperam fluxum coeliacum vocasse excretionem chyli, sive sinceri, sive cum fecibus remixti; nam

2) Nemo observatorum dixit, se vidisse hanc excretionem chyli.

3) Neque caussae a nuperis allegatae sufficiunt ad explicandam indolem morbi, scili-

a) Loco cit. p. 28.

b) Fluxus coeliaci genuina notio atque ratio exposita, Goettingae 1786.

cet hunc non eiicere posset, si per longum tempus nulla chyli resorptio fieri posset.

4) In atrophia, aliisque morbis, v. c. rhachitide, ubi adsunt scirrhi glandularum mesenterii et obstructio, non animadvertitur passio coeliaca.

5) Remedia iuvantia, quae sunt potissimum roborantia, testantur, contrariam plane caussam adesse, scilicet relaxationem potius, quam obstructionem.

Et in compendio idem VOGEL *c*) denuo expresse monuit.

„Nec obstructionem glandularum mesaraica-„rum pro communi caussa atrophiae et coeliaci „fluxus venditare licet, nisi fallaciam in argumen-„tando committere insignem velis. Primum enim „non tam freqnens est fluxus coeliacus, quam „dictarum glandularum obstructio; hocque post-„remum vitium millesies occurrit sine ventrali „fluxu. Quamvis equidem, quisquis hoc ipso „laborat, obstructas habet glandulas mesaraicas; „non tamen vicissim ille in profluvium nostrum „semper coniicitur, cuius mesenterii glandulae „intumescunt ac induratae sunt. Quapropter licet „haec duo mala se interdum comitentur; nulla „tamen necessitas nos cogit ad concludendum, quod „unum alterius caussa sit sive producatur ab al-„tero. Habent potius haec duo mala communem

c) Academicae Praelectiones de cognoscendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus. Goettingae 1772. 8. §. 339 et 340.

„aliquem fontem, ex quo simul propullulant, „seseque adeo nonnumquam comitantur, cache- „xiam, puta, quae, in pueris inprimis, persaepe „utrumque producit.“

„Non magis vero Coeliaca ab obstructione „vasorum lacteorum in suis osculis bibulis, quam „multi quidem ex recentioribus adeo pro unica „huius fluxus caussa habent, quam ab ante me- „morata obstructione glandularum mesaraicarum „oritur. Sive enim illam a pituita vel muco in- „testinali, sive a cicatriculis aut ab aphthis in- „testinorum fieri iubeas; utrobique non levia „dubia moveri possunt.“

Nihilo secius apud BURSERIUM DE KANILFELD *d*) adhuc haec reperiuntur:

„In Coeliaca passione alvi excrementa ex „concoctis quidem, sed liquidis, et chylo in- „tersperso albicantibus constant . . . vera eius „caussa haberi potest impedita chyli in vasa lactea „propulsio, aut absorptio vel bilis, et succi pan- „creatici defectu, quod chylum non satis atte- „nuarint, vel intestinorum vitio, quod infirmio- „ra, et languidiora sint, vel vasorum lacteo- „rum, quod vim absorbendi amiserint, vel, „cicatrice clausa, obstructa, aut compressa, „chylo iter denegent.“ Quae omnia quum variis

d) Institutionum Medicinae practicae Volumine quarto, parte altera, Capite quinto, §. 55. p. 332. Lipsiae 1790.

„ex caussis fieri possint, cuilibet vel leviter „physiologia imbuto facile innotescunt."

Rectius hinc, si Fluxus coeliacus definitur: *Excretio alvina puriformis vel chyliformis, cum tenesmo, febre lenta, et consumtione;* cum Richtero *e*), Chirurgo inter Germanos Celeberrimo, Fluxum coeliacum pro morbo topico intestini recti haberem, materiamque excretam minime chylum verum, sed tantum mucum puriformem esse, hinc rectius morbum dicendum esse Fluorem album Intestini recti, haemorrhoidum enim mucosarum nomen minus apte videtur.

Praeter ea, quae bono cum successu adhibuit medicamenta Vir clarissimus, adhuc clysmata adstringentia et antiseptica, v. c. Decoctum Corticis peruviani vel Ligni Campechensis, ad morbum citius tollendum, in usum vocarem.

e) Medicinische und Chirurgische Bemerkungen. Goettingae 1793. Capite tertio.

LIENTERIA.

§. LXIV.

In Lienteria vasa absorbentia Intestinorum, chylosa vulgo dicta, laborare, ut ex cibis succum nutritium sugere nequeant, vel renitantur, adeo luculenter oculorum, cibos crudos indigestosque alvo excretos videntium, testimonio usurpatur, ut nullum dubium supersit, insignem admodum symbolam ad hunc morbum conferre systema nostrum.

Sub iudice autem lis est, irritabilitatis an excessu, an potius defectu id accidat? — Swieten enim Intestinorum Irritabilitatem nimiam, Burserius de Kanilfeld vero Ventriculi languorem, et Pylori relaxationem accusat, et cum reliquis Pathologis ne cogitare quidem de actione vasorum chylosorum videtur. Si mea quidem valeant, irritabilitatem debilitate auctam statuerem. Neque miror, glandulas mesaraicas obstructas contiguas et tandem contineas, tumorem scirrhosum, unum chaos inconditum, referentes, esse inventas *a*).

a) Acta Naturae Curiosorum, Volumine secundo, Observation. LXV. Confer et Dissertationem *R. A. Vogel*, respondente *Biel*. De Lienteria. Goettingae 1770. 4.

OBSTRUCTIO ALVI.

§. LXV.

Pari modo scybala sicca duriora redduntur, obstructionisque alvina species inde oritur.

DIABETES.

§. LXVI.

In huius inprimis morbi explicatione Pathologorum recentiorum nonnulli *a*) ad systema absorbentium vasorum confugerunt.

Darwin *b*) enim ex hypothesi nimis audaci caussam huius morbi, ut et aliorum morborum, quaesivit in motu inverso sive retrogrado Chyli, ita ut Chylus, per vasa mesenterica adveniens, non ad ductum thoracicum, sed ad renes, feratur.

a) Experiments establishing a Criterion between mocaginous and purulent matter, and an Account of the retrograde Motions of absorbent Vessels in some Diseases Lichtfield 1780. 8.

Confer et *Fr. Home* Clinical Experiments and Histories. Edinburgh. 1780. — *Mezler* Preisschrift von der Wassersucht. — *Kortum* De Vitio scrofuloso, Tomo secundo, p. 103. — *Platner* in Notis ad *Fabre*. — *Schreger* De vasorum absorbentium, irritabilitate, p. 61. et in Beitraege. Erster Theil, p. 177. in nota. *Selle* Medicina clinica in Editione quinta Berolini. 1789. p. 525. — *Nudor*. loco citato. — *D'Hame* l. c.

b) Praeter diabetem enim e motu lymphae inverso derivat *Darwin* Hydropes varios, sudorem frigidum Metastasin puris, chyli, lactis et urinae; Actionem Medicamentorum purgantium, cuti adplicatorum.

Ruminationem, Ructus, Pyrosin, Vomitum, Ileum, Affectus hystericos, Borborygmos, Hidrophobiam.

Quamquam autem non ignorem, GUILIELMUM HUNTER c) semel cadaver dissecuisse, in quo valvulae aëri in ductum thoracicum inflato cedebant, adeo ut e ductu thoracico in vasa chylosa mesenterii aër transiret.

Quamquam non ignorem, SCHUMLANSKI d), cui fidem maximam semper habui, vidisse quatuor truncos valvulosos vasorum renalium comites, in quos Mercurius ex chyli sic dicto receptaculo, superatis valvulis, retrograda via ad renis usque sinum penetravit, et in alio rene plura lymphatica ab aëre per putrefactionem sponte evoluta et distenta.

Haec duo autem experimenta, DARWINO incognita, fortius pro eo militare videntur, quam omnia, quae ipse in medium protulit, et quae hic repetere et refutare nimis profecto taediosum et longum foret.

Nihilo secius nunquam eo adduci potui, ut crederem, haec etiam vivo in corpore accidere, et si revera accidant, morbum ullam unquam medelam admittere. Meis autem consiliis diabeten sanatam fuisse, certo novi.

, Nimis vere paradoxa omnia sunt, quam ut seriam refutationem mereantur, eoque minus, quo certius ex Amici eius ore scio, experimenta, quae circa Puris a Muco differentiam tradit, nunquam ab ipso instituta fuisse, sed e mera hypothesi eum ea proposuisse; hinc non mirum, neminem experimenta repetentem eadem reperisse, quae DARWIN tradiderat.

c) Auctore *CRUIKSHANK* Anatomy of the Absorbent Vessels; in fine Capitis decimi tertii.

d) Dissertatio inauguralis de structura Renum, Argentorati 1782. p. 62.

Novimus etiam antispasmodicis sanatam fuisse. Quomodo autem antispasmodica valvularum destructionem tollere poterunt?

Novimus digestionis organa in isto morbo absque vitio officio suo fungi *e*), quamquam morbi progressu debilitentur, necesse sit.

Consentientes mecum invenio CRUIKSHANK *f*), MASCAGNI *g*), v. HEUVEL [1]), LUDWIG *h*), HECKER *i*), J. G. JAHN *k*), OTHMAR HEER *l*), JOSEPHI *m*), WEBSTER [2]) et BASILEWITSCH *n*), J. GAUTIERI.

Multo minus ergo assentiri possum KORTUM *o*), ulterius adhuc procedenti:

„Fit nempe in quam plurimis casibus mo-„tum vasorum lymphaticorum, quin et resor-„bentium sanguiferorum, retrogradus, veluti

e) Disserte id asserit *A. G. RICHTER*, l. c. — Non ignoro, *BURSERIUM DE KANILFELD* viscerum, chylificationi dicatorum, debilitatem pro caussa agnoscere.

f) Anatomy of the absorbent Vessels, in fine Capitis decimi tertii; quamquam *DARWINUM* non nominat, patet tamen contra illum disputari.

g) Loco cit. p. 107.

1) *C. G. VAN HEUVELL* Tentamen nososologicum, p. 95. nota a).

h) In versione germanica operis *CRUIKSHANKII*, p. 102.

i) Allgemeine Geschichte der Natur und Arzneikunde. Erster Theil. Leipzig 1793. 8. p. 89.

k) In Dissertatione citata bene contra *DARWINUM* disputat.

l) De Renum Morbis. Halae 1790. 4.

m) Dissertatio de Metastasi Lactis. Halae 1791.

2) *CHARLES WEBSTER* Facts tending to shew the Connection of the stomach with Life Disease and Recovery. London 1793.

n) Loco citato.

o) Loco citato, Volumine secundo, p. 103.

„ubertim docuit b. Darwin. Et talem quoque „motum retrogradum purgantia canalis intestina-„lis parietes potenter irritando sollicitandoque „excitant, in vasis saltim lymphaticis mesente-„rii, hinc stagnantem in iis vel in glandulis „illa interiacentibus materiem, praesertim si re-„solventibus praeparata fuerit, ad intestina evo-„cant, ac directe et immediatae evacuant, cum „diuretica et indirecte et longa demum via prae-„stitissent; — praeterea oscillatorium istorum „vasorum motum irritatione sua augendo ad re-„solutionem impactorum egregie conferunt. Hinc „apparet, iure dici, cathartica remedia rese-„rare, evacuare obstructum mesenterium. Etiam „resolventia remedia eodem modo, motum vide-„licet retrogradum vasorum resorbentium excitan-„do, mesenterii sordium effusionem quandoque „causantur; veluti luculentum est in curatione „febrium gastricarum sive mesentericarum Bagli-„vii; in quibus nempe salibus mediis cum tar-„tari stibiati refractis dosibus, etc. per aliquot „dies exhibitis ingens saepe sordium in intestinis „collectarum vis suis signis sese manifestat eva-„cuante medicina nunc eiiciendarum. Consentit me-„cum Ill. Platnerus, egregie ostendens, evacua-„tiones pituitas, quae in acutis chronicisque „morbis per intestina fiunt, saepe esse imme-„diatas effusiones venae portarum atque vasorum „lacteorum, ab horum vasorum motu retro-„grado pendentes. Hinc et, pergit, per tales effu-

„effusiones systema portarum et vasorum lacteo-„rum levari, infarctusque mesenterii, hepatis, „lienis solvi; — purgantia quoque et resolven-„tia remedia saburram abdominalem ad intestina „allicere, resorbentia mesenterii vasa ad motum „retrogradum et eructationem contentorum sti-„mulando."

Non possum ergo non consentire cum A. G. Richtero *p*), allatis doctissimis et solidis argumentis non solum, sed etiam felicibus curationibus statuente: Diabeten esse morbum spasmodicum, et irritatione quadam in renes agente, oriri secretionem urinae auctam interdum etiam perversam *q*).

Hisce perfecte conveniunt observationes anatomicae Cruikshankii *r*), qui arterias renales dilatatas invenit in hoc morbo peremtis.

Etiam Th. Cawley relaxationem et dilatationem organorum uropoieticorum accusat *s*).

Neque abhorret ab ista sententia, neque displicet Mascagnii *t*) ingeniosa, naturae perfecte consentanea huius morbi expositio, e cognitione subtilissima systematis vasorum absorbentium hausta.

p) Medicinisch Chirurgische Bemerkungen. Goettingen 1793.

q) *Burserius de Kanilfeld* Renum laxitatem et atoniam inter caussas ponit.

r) Loco modo citato.

s) Journal de Medecine, Chirurgie etc. à Paris 1789. Mois de May.

t) L. c p. 10.

In Diabete nimirum glandulas, quo tendunt renum vasa absorbentia, saepe obstructas esse *u*); inde fieri, ut humor secretus, quem lymphatica, utpote iam repleta, haurire nequeunt ac ultra transferre, totus fere in cellulis maneat, atque hinc transeat in tubulos uriniferos, et in pelvim ureterum ac Vesicam feratur.

Tunc igitur remedia vel intestinorum cavo, vel inferiorum corporis partium superficiei erunt admovenda *v*).

u) Glandulas circa renes tumidas in dissectionibus diabete mortuorum ipse annotavit *Darwin*, l. c.

v) Pag. 107. in Nota.

STRUMA.

§. LXVII.

S*trumam*, id est, Glandulae thyreoideae tumorem, proprie non esse morbum vasorum absorbentium, patet; cum ista glandula prorsus peculiari structura, a structura glandularum lymphaticarum admodum diversa, gaudeat.

Quocirca, strumam in systemate lymphatico sedere, non dicerem cum Th. White *a*) et cum Assalinio *b*).

a) Treatise on the Struma etc. London. 1784. in Praefatione. Morbum scrophulosum autem ab anglis *strumam* vocari, me non latet.

Rectius veram strumae sedem in glandula thyreoidea quaerit *M. Foderé* Essai sur le Goitre et le Cretinage. Turin 1792.

b) Loco cit. p. 67.

Symbolam tamen non contemnendam vasorum absorbentium systema conferre ad generandum et tollendum strumam hisce minime negatur. Quanquam non ignorem Cl. GAUTIERI *c*) vicinas strumae glandulas nil passas fuisse vidisse.

Bene etiam differentiam inter scirrhum et strumam exposuit STREIT *d*), quae eo maior mihi videtur, cum notissimum sit, strumam malum locale, vix unquam in suppurationem vergens esse praeterea non modo multo minus durum esse, tumorem, quam scirrhum, sed etiam saepissime, praesertim aetate iuvenili, sanationem vel resolutionem certam admittant, quod equidem nunquam in scirrho vero vidi.

Bene etiam differentiam inter strumam et glandulam scrofulosam exposuerunt JOSEPHUS GAUTIERI et Cl. WICHMANN *e*).

c) Strumae incrementum ab inactione vasorum lymphaticorum non est deducendum, cum vasa lymphatica non multa glandulae thyreoideae fuerint tributa, cum licet non impedita eorum actione habeatur strumae explicatio
JOSEPH GAUTIERI de struma Vindobonae 1794. p. 15. p. 71. seqq.
multus est in refutanda opinione quae strumam a vasis absorbentibus derivat.

d) Actorum Academiae medico chirurgicae Viennensis, Tomo primo.

e) Ideen zur Diagnostik, Hannover 1794.

STEATOMA.

§. LXVIII.

Probabile videtur — inquit Jansen a) — *steatoma nasci ex lymphaticorum* (id est: sorbenbentium) *vitio*; si vasa lymphatica, pinguedinis resorptioni destinata quacunque de caussa comprimuntur, obstruuntur etc. ut debitam adipis copiam recipere non valeant, accumulatio pinguedinis in illa parte fiat, necesse est, sensim increscens, donec tandem in incredibile onus tumor augeatur.

a) Dissertatio de Pinguedine. Lugduni Batavorum 1781. p. 138. — Platner Chirurgia. §. 761.

OSSIUM INFLAMMATIO.

§. LXIX.

Vasa absorbentia ab ipsa inflammatione ad actionem naturali maiorem stimulata incitata absorbendo ossium particulas *ossium* poros maiores distinctioresque reddunt. Imminuta inflammatione alius naturae processus incipit ad reparandum quod deperditum erat. Vasa (Arteriae?) scilicet largam materiam osseam secernunt et in absorptae locum deponunt. Levis autem quae superest inflammatio vasa solito magis stimulat, adeo ut plus secernant, quam ad restitutionem requiritur, aut quam vasa absor-

bentia naturaliter nunc tantum agentia absorbere proportionaliter valent; hinc sanata saepe solida observantur crassiora et ponderosiora.

Ex hac Phaenomenorum, quae inflammatis ossibus observantur explicatione, ex mente Cl. BRUGMANNS dirimi etiam valet, quae ratio sit, cur lue venerea correptorum ossa alias ponderis sui multum amittant, et spongiosa fiant, alias contra naturalibus multo ponderosiora observentur, cuius rei explicationem varii vario modo aggressi fuerunt. Putat enim Vir Cl. levia talia ossa ad tales pertinuisse aegrotantes, qui a lue, vel ante eandem sanatam obierunt, ponderosiora contra ad tales, qui a lue sanati redierunt *a*).

a) *MAANEN* Diss. de Absorptione solidorum.

MOLLITIES OSSIUM.

§. LXX.

In Mollitie Ossium iure accusanda esse vasa absorbentia, videntur, nimirum eorum actione, et quidem interdum satis cito *a*), materia calcarea in sanguinem rapitur et per urinam excer-

a) Sex hebdomadum spatio totum fere Sceletum emollitum vidit *BRÜNNIGHAUSEN* in Tractatu de Fractura Claviculae; quod egregium admodum specimen optime paratum Wirceburgi in Theatro anatomico lustravi. — Osteosarcosin vasorum absorbentium ope fieri asserit. *J. CH. PLANK* Diss. de Osteosarcosi Tubingae 1781.

nitur *b*). Plerumque Mollitiem ossium scorbuti symptoma esse, animadvertere mihi visus sum. — Saltim ossa scorbuticorum semper manifesto molliora inveni; quod adeo verum, ut CHRIST. LUDOV. HOFFMANN scorbutum declaret esse morbum succi sic dicti ossei.

b) *HERISSANT* Memoires de l'Academie des sciences, à Paris 1758. — *HALLER*, Elementorum Physiologiae libro vicesimo sexto, p. 362. -- Medical Observations and Inquiries, Volumine quinto, p. 266. — *CRUIKSHANK* in Praelectionibus 1785. habitis; et *LUDWIG* in versione eius germanica, p. 107. — Idem vidit in Mollitie Ossium Cranii B. *COURTEZ* Dissertation sur la Formation du Cal.

CLAUDICATIO.

§. LXXI.

In Claudicantibus totum caput et collum ossis Femoris e capsula sua lapsum *absque ulla Carie* absumitur *a*).

Eiusmodi specimina ipse varia servo, in quibus totum caput ossis Femoris non modo, sed simul totum Acetabulum ossis coxae absumtum est, absque omni dubio actione vasorum absorbentium nostrorum.

Hinc non mirum etiam in vera Carie acetabuli ossis coxae et capitis ossis femoris glandulas inguinales intumescere *b*).

a) *PETRUS CAMPER*, Over het Mankgaan der Kenderen, p. 4.

b) *EDW. FORD.* Observations on the Disease of the Hip Joint etc. London 1794. qui optime hoc malum descripsit iconibusque exhibuit, p. 15. expressis verbis monuit glandulas inguinales in hoc malo coxae saepe intumescere, item p. 23. 141. 145.

CYPHOSIS.

§. LXXII.

Cyphosin *a*) ex absorptione corporum vertebrarum, tum cariosarum tum nulla mollitie corruptarum, ortam esse, innumeris fere exemplis vidi, et quamplurima eiusmodi specimina servo *b*). Auferri autem per vasa absorbentia vertebrarum materiam osseam resolutam dubitari, omnino nequit.

Hinc et van Maanen *c*) statuit plus iusta pressione vasa absorbentia ad actionem incitata pressas absorbent cartilagines vertebrasque et absorbendo notabilem saepe columnae vertebralis partem destruunt.

Immo in ipsis vasis absorbentibus ab arrosis vertebris lumbalibus orientibus concrementa calcacea reperta sunt *d*).

a) Confer egregiam Dissertationem *G. Coopmanns* de Cyphosy, Franecquerae 1770. 4. cum figuris.
Minus recte *Pott* in *Works* hunc morbum explicaverat, prouti in eum 1779. in Programmate; De cognitionis subtilioris systematis lymphatici in Medicina utilitate, Cassellis edito animadverteram; errorem ingenuus Vir ipse agnovit in altero Scripto: Farther Remarks.

b) Casum Fracturae Vertebrae primae lumborum in quo glandulae absorbentes in spina sitae sumebant fusius narrat *I. A. Schmidt* Commentarius de Nervis lumbalibus. Vindobonae 1794. §. 43.

c) Pag. 89.

d) Notes du second Volume des Ouvres posthumes de *Pouteau*, p. 327.

Ductum thoracicum autem utrumque in quavis distorsione Thoracis ergo etiam in Cyphosi vario modo pati, situ moveri, vel plus minusve comprimi sponte patet; hinc non mirum, tabe hominem consumi.

ANCHYLOSIS OSSIUM.

§. LXXIII.

Accidit anchylosis quando vasorum absorbentium actione cartilagines articulares et ipsae ossium superficies vicinae absorbentur, et postmodum lue superficies confervent *a*).

Ab absorptione Synoviae nimia Anchylosin et spuriam et veram oriri, affirmat BASILEWITSCH.

a) Consentit van *MAANEN*, Dissertatio de absorptione solidorum. Lips. 1794. p. 86.

HYPEROSTOSIS.

§. LXXIV.

Hyperostosin oriri vitio vasorum absorbentium asserit FR. GEBHARD *a*).

a) Adversaria medica Basileae 1777.

CARIES.

§. LXXV.

Ossa vera inflammatione corripiuntur, et si urgere stimulus non desinit, perinde, ut in partibus mollibus, suppurationem movet.

Si ergo os a suppuratione elementis suis dissolutis et sublatis actione vasorum absorbentium excavatur, Caries oritur, quae nihil aliud est nisi *ulcus ossis*, ut optime CULLEN eam definit.

Quae ergo de suppuratione et ulceribus notavi, et hic erunt adplicanda; v. c. in Carie Dentium glandulas tumentes saepe, quamvis non semper, videmus. In Carie Pedum *a*), glandulae inguinales tument.

a) A Carie Ossium Tarsi glandulas inguinales tumidas vidit J. KRAGTINGH in Verhandelingen v. h. Genootschap der Heelkunde te Amsterdam 11. Deel 1795. p. 96. 100. et 101. ubi casus egregie describitur.

NECROSIS OSSIUM.

§. LXXVI.

Ingeniose admodum et naturae perfecte consentaneo modo *Necrosin ex actione vasorum absorbentium* explicavit, a reliquis ossium morbis distinxit, et optimam methodum, ipsam cu-

randi, tradidit Cl. WEIDMANN *a*) in opere peculiari classico, cuius argumentatio ad haec fere redit:

Ossium ortus, incrementum, decrementum, habitus et morbi declarant, viribus vitae ali, sustentari et defendi ossa.

In Ossium cavis interstitiis, canalibus, cellulis, reticulis, humores vasis contenti agitantur diversae indolis; vel enim sanguis est, vel lympha, vel medulla; hi ne stagnando corruptionem concipiant, et a dotibus suis bonis et requisitis recedant, communi humorum circulo veniunt redeuntque.

Etiam elementa illa terrea, quae ossium compagem constituunt, perennia non sunt, sed singulari circulo mutantur, et reducuntur, vel quod frictu et attritu per motus corporis deterantur, vel quod indolem, ex qua eorum integritas pendet, mora aut alio modo amittant.

Ossium infantilium *Cava*, tum *communia*, veluti Capitis et Thoracis atque Pelvis, tum *propria*, ut ossium longorum medullam continentia, tum sinus frontales et maxillares, progressu temporis ampliantur, quod fieri sane non posset, nisi horum ossium elementis pristi-

a) De Ossium Necrosi Francofurti 1793. folio, cum figuris. — Cui assentitur *E. C. Büchner* in Dissertatione: Observatio sistens quorumdam ossium morbos. Wirceburgi 1793. p. 18.

nis dimotis nova succederent elementa, ampliora cava constituentia.

Ossa praeterea non raro emolliuntur, fragiliora redduntur, cavorum et capitum articuli luxati forma mutatur, quin tota evanescit. Quantopere autem ossa in hydrocephalo mutantur? Paralysi et Ptyalismo Ossa tenuiora redduntur. Limbus ossis, sera recisi, non asper manet, sed obtunditur *b*); quae particulae ossium reduces cum urina denique eliminantur.

Post terebrationem ossis, vel emortuo toto osse parietali, in exfoliatione vivum os eo loco, quo cum emortuo iungitur, removeri; emortuum os non mutari, sed vivum os se quasi subducere emortuo, docet Cruikshank *c*).

E contrario non raro ossa morbosis quibusdam mutationibus massa augentur, et quasi ponderosa fiunt *d*).

Particulas autem subtrahi ossibus morbosis, sed non sanis, concedit Kemme.

Num vero morbo nova vis novaque facultas insurgit? Minime; adsunt enim vasa resorbentia id peragentia.

Videmus enim illorum actione fluida non modo assumi et reduci in humorum massam,

b) Confer opus nostrum, vom Baue des menschlichen Koerpers. Erster Theil. §. 46. sq.

c) Anatomy of the absorbent Vessels, p. 104. — „As „it were in consequence of the living bone's retiring „from it."

d) *Cruikshank*, l. c. p. 106.

sed et solida etiam. Neminem latet, Mercurium dulcem, immo Mercurium vivum ipsum, a vasis absorbentibus abripi, et in totam humorum massam dispergi.

Vasa absorbentia autem, quae revera resorbent et resumunt ossium elementa, descripsit WINTERBOTTOM, quamquam modus adhuc lateat, quo hoc peragatur.

Prouti autem os quoddam mox totum, mox particula tantum eius, inflammatione et suppuratione afficitur, ita et, quando vis omnis ossium vitalis exstinguitur gangraena et sphacelo corripi potest. — Qui ossis status *Sphacelismus; Necrosis, Gangraena, vel Sideratio, Mortificatio* audit.

Tria Necroseos stadia sunt; in *primo* stadio pars laesa ossis emoritur; in *altero* emortua est, et separatur; in tertio demum stadio separata est.

Generatim ego separationis illius ratio, quae actione vasorum absorbentium fit, in subductione particularum consistit, quae inter vivam mortuamque ossis partem affines iacent; ita tamen, ut plurimum a viva nonnihil et ab emortua parte auferatur.

METASTASIS.

§. LXXVII.

Metastaseos nobilissimam et difficillimam doctrinam magnopere illustrari, ni perfecte explicari posse diligentiore cognitione systematis vasorum absorbentium, nonnullis exemplis comprobabo *a*).

Miratur Cl. BORRICHIUS *b*): *Tumores glandularum subalarium, quae alias iam quinque libras puris suppuratione dederant, subito a refrigerio evanescere, et pulmonibus affectis mortem ciere potuisse; et, qua via tam promte eatur a glandulis subalaribus in pulmones, interrogat.*

Responsio nostra aetate facillima, ad oculum, ut dicunt, demonstrari potest. Notissimi enim et perquam egregie etiam delineati sunt illi ipsi plexus vasorum absorbentium copiosi, largi et ampli, qui assumtum omne illud pus glandularum subalarium, subito satis perductum thoracicum in Venam cavam, ex illaque recta via in pulmones perferunt *c*).

Pus autem etiam remotissimo a Pulmonibus natum loco absorberi, ad pulmones deferri, et

a) Eadem et *SCHREGER* affirmat in Beitraege Erster Theil, p. 197. „Die Metastasen sind groessestentheils das „Werk der Saugadern."

Metastasin, dicit *BASILEWITSCH*, oriri, si materies, quae corpore eliminanda erat, e vasis absorbentibus reassumitur.

b) In Actis Hafniensibus, Volumine secundo, p. 226.

c) *HEWSON* Volumine secundo. — *CRUIKSHANK*, Tabula prima. — *MASCAGNI*, Tabula prima 23. 24. 26.

illaesis istis visceribus excerni, optimis observatoribus adeo constat, ut nullum amplius huius metastaseos dubium superesse possit.

Sic pus absorptum, per viginti annos pulmonis ulcus mentiens, integris tamen pulmonibus, vidit DE HAEN *d*). Dolendum autem, focum puris verum in hoc prouti etiam in alio ab eo relato casu *e*), per anatomem non indagatum esse.

Pus absorptum e glandulis per tussim integris pulmonibus redditum vidit CHRISTOPH. LUDOVICUS HOFFMANN *f*).

Adipem in febribus acutis solutum ad Metastases conferre *g*), visum fuit.

CRUIKSHANK febrim hecticam, quae annos quinque duraverat ante tertiam diem post amputationem evanescere vidit CRUIKSHANK *h*).

Idem Vir puris, e fistula ani absorpti, exscreationem vidit, quae exscreatio post sanatam per cultrum fistulam cessabat *i*).

Idem puris ex ulceribus brachiorum, crurum et pedum resorpti, exscreationem illaeso pulmone vidit *k*).

Non ignoro, Cl. PORTAL morborum pectoralium acutorum et Catarrhorum exitum prouti

d) Rationis medendi Volumine Primo, p. 42.
e) Ibidem, p. 43.
f) Von den Pocken, §. 162. — et ex eo Viro *CHAVET* Dissert. de Phthisi pulmonali haereditaria. §. 99.
g) Prix de l'Academie. Tome 2. p. 299.
h) Edit. altera. Historiae vasorum absorbent.
i) Apud *CHAVET*, l. c. §. 101.
k) Apud *CHAVET*, l. c. §. 100.

lactis metastasin, a brachiis et axillis ad pulmones abeuntem; aliter explicare, scilicet per cohaesionem partis superioris pulmonum per telam cellularem cum brachiis.

Exscreationem puris, nati circa genu, quod ossibus cariosis laborabat, tam diu vidit KIRKLAND l), donec puris focum per amputationem auferret.

Interdum in Phthisi pulmonum, praesertim scrophulosa, Colli glandulas lymphaticas intumescere exemplis comprobarunt SYDENHAM, DE HAEN, BRILLOUET m).

Pus ipsum resorptum de Pectore aliisque abscessibus in sanguinem visum et depositum in urinas, per vomitum redditum, et per alvum excretum, adnotat HALLER n).

Cui vero non notum est, febrem hecticam, phthisin pulmonalem spuriam, e pure absorpto oriri?

Post febres acutas cuiuscunque generis — inquit KORTUM o), praecipue tamen, quarum fomes in primis viis inhaeserit, glandularum saepe tumores oriuntur, tanquam metastases perfectae vel imperfectae, levantes vel non levantes, remanentes diu vel evanescentes brevi. Metastases ad Parotides, Glandulas axillares,

l) Present state of Surgery. Volumine secundo, p. 230.
m) Confer et Caput de Phthisi Pulmonum.
n) *HALLER* in Addendis ad Elementa Physiologiae p. 16.
o) Tomo primo, p. 260. §. 45.

Glandulas inguinales, antiquissimis Medicis satis notatae. Russell asserit, glandularum aliquas, potissimum inguinales, tempore pubertati propiore fere semper patere febrium, inprimis malignarum, crisi. In *Commentariis Instituti Bononiensis* descriptam legimus febrem epidemicam biliosam, cum petechiis et verminosa colluvie, qua perpessa nonnullis colli glandulae intumuerunt, sed tumores iterum evanuere absque pravis effectibus.

Duplicem metastasium variolosarum classem constituendum censet idem Kortum p): *Aliae* nempe statim in stadio suppurationis vel exsiccationis contingunt, dum pus variolosum in humorum massam resorptum, vel intrinsecus, v. c. ad pulmones, in cerebrum etc., deponitur, quod omnino periculosissimum, vel quod minori periculo fit, extrinsecus in aliquo corporis loco colligitur, sic v. c. van Swieten tumorem glandularum inguinalium in puero variolis confluentibus periculose decumbente, maturationis tempore subito ortum vidit; morbus feliciter sublatus et cum eo quoque tumor sponte evanuit. — *Aliae* vero non statim in stadio maturationis vel exsiccationis variolarum, vel paulo post morbum superatum contingere solent, sed vel plures hebdomades post exsiccationem consequuntur, lente proserpunt, nec adeo in collectioni-

p) Tomo primo, §. 42. p. 252. et 253.

lectionibus puris variolosi consistunt, sed potius a subtiliori variolosa acrimonia producuntur, corpori adhuc inhaerente; in has illasve partes coniecta, easque male afficiente, et innumeram morborum varietatem inducente. Et huc quoque pertinent glandularum Colli aliarumque tumescentiae, cum ophthalmia, Capitis Scabie, aliisque veris scrophulosi vitii indiciis coniunctae.

Facillimam profecto haec omnia phaenomena explicationem e doctrina de systematis absorbentis actione admittunt.

Quamquam a sanguine menstruo ipso, ut in capite de sanguinis effusione retuli, glandulae utero vicinae tument; interdum tamen etiam a menstruis, tum suppressis, tum cessantibus, glandulae lymphaticae Colli aliarumque partium metastatice tumere videntur, quorsum referrem aliquos casus, a KORTUMIO *q*) allegatos.

Scabies, diu in cute residens, in sanguinem continuo mittit particulas noxias, morbum excitantes, qui a scabie retropulsa vel regressa derivatur; vidit CHR. L. HOFFMANN *r*) dyspnoeam cum tussi inde orientem; felicissime autem sanabat malum mercurio, quem in ipso loco affecto, vel mali foco, applicabat.

q) L. c. Tomo primo, §. 45.

r) Apud *Chavet*, von der Ausrottung der venerischen Krankheit, §. 46.

Sic in me ipso, dum sudorem refrigerium subitaneum exciperet, et perspirationis suppressae materies illico genu sinistrum molestaret, proxima nocte vasorum absorbentium ope ad inguen delatam materiam distincte sensi, ibique aliqua mora in glandulis facta sensim sanguinis massae reddita evanuit.

Post suppressos Pedum sudores glandulas inguinales tumere, vulgatissimum est.

Generatim in Catarrhis, ut supra iam monui, glandulae absorbentes non raro intumescunt, et quidem subito, absque alia reperiunda caussa, post refrigerium, materia perspirabili nimirum retenta, per metastasin ad eas delata. Et quamquam saepe satis pertinaces, nec suetis remediis cedentes, immo et suppurantes glandulas istas viderim, sanationem tamen in casu fere desperato, per Camphoram externe adplicatam, feliciter absolvi.

Exempla Metastaseos Lactis collegerunt: Haller *s*), et post eum Chr. Fr. Jaeger *t*), Nath. Berendt *u*), Ioan. Iac. Embser *v*), And. Aug. Roemer *w*), Ioan. Rud. Ratzky *x*),

s) Elementorum Physiologiae Tomo ultimo 1765. in Additamentis, p. 144.

t) Dissertatio de Metastasi Lactis. Tubingae 1770. 4.

u) Dissertatio de Lactis Metastasibus. Goettingae 1780. 4.

v) Dissertatio de Metastasi lactea. Argentorati 1781. 4.

w) Dissertatio sistens observationes de Metastasi Lactis.

x) Dissertatio Lactis Metastasis Caussa, febris Puerperarum. Jenae 1789. 4.

Pujol *y*), André *z*), et Isaac Joseph *a*), Sachtleben *b*), Rüst *c*), ad quos ergo lectorem ablego.

Verum autem lac in mammarum vasis absorbentibus, ad glandulas axillares abeuntibus, ipse inveni in feminis partu enixis nec lactantibus. — In ipsis glandulis axillaribus lac vidit Assalini *d*). Glandulas axillares in puerperis, ubera infantibus vel denegantibus vel alia caussa non lactantibus, non modo tumere, sed non nunquam etiam in suppurationem abire, vidit Guilielmus Hunter *e*). Eadem et ipse vidi.

Lacti simile fluidum, e fistuloso ulcere in medio femoris feminae prorumpens per novem annos, in aliis duabus feminis ex umbilico, quin ex umbilico Viri lacti simile fluidum effluere vidit Assalini *f*). Lac verum autem fuisse, merito dubitat, cum simile prorsus fluidum eodem tempore in Viro post bubonocelen et in feminis post puerperium, prouti in quavis fere inflammatione abdominis reperiret.

y) *Pujol* in Journal de Medicine, Chirurgie, Pharmacopie etc. Paris 1789. Volumine primo.
z) *J. B. André* sur les Maladies laiteuses chroniques. Paris 1791. 8.
a) Dissertatio de Metastasi inprimis lactea. Halae 1792. 8.
b) *Sachtleben* in *Starke* Archiv, Zweiter Band.
c) *Carl Frid. Rüst* Diss. de metastasibus Lactis. Goettingae 1793.
d) L. c. p. 118.
e) Medical Commentaries, p. 59.
f) L. c. p. 119.

Lac Mammarum colli glandulas tumefacere vidit ASTRUC *g*).

Femina vinginti dierum spatio nullam urinam, sed vomitu continuo urinae similem liquorem reddere, visa est ASSALINIO *h*).

Subito saepe fungum articularem spurium per metastasin ortum vidit A BRAMBILLA. *i*).

Non amplius ergo *omnes isti motus incogniti,* quos BAGLIVIUS *k*) *obscuros* vocat, et *cuius generis* dicit, *Metastases ad has potius, quam ad alias partes;* iam patet enim consensus, quem *obscurum* vocat; inter tibias et pectus, inter pudenda et pectus; perfecte enim novimus iam vias, per quas pus ex ulcere tibiae vel pudendorum in pulmones defertur.

Hisce si addantur, quae sparsim in superioribus, data occasione, ad hanc doctrinam illustrandam attuli, pauca haec profecto sufficere poterunt, ad id demonstrandum quod in principio huius capitis asserere non haesitavi.

Saltem cognita vera systematis lymphatici natura et indole, nunquam nos eo abripi patiemur, ut cum DARWINO *l*) in motu retrogrado

g) Maladies des femmes.

h) L. c. p. 42. — Urinae resorptionem vero negat *METZGER*, in Exercitationibus, p. 33.

i) In Actis Academiae medico-chirurgicae Viennensis, Tomo primo, p. 11. et 15.

k) Praxeos Medicae, Libro primo, Capite secundo, §. 10.

l) De quo in Capite de Diabete loquutus sum.

lymphae quaeramus Caussam Metastaseos Chyli, Lactis, Urinae, Puris. Facillime enim, uti vidimus, vel naturae perfecte consentaneo, non vero prorsus contrario et violentissimo, modo omnia ista phaenomena explicari possunt.

COCTIO MATERIEI MORBOSAE.

§. LXXVIII.

Coctionem, quae multum a resolutione et vera suppuratione differt, et medium quasi inter utramque locum tenet, potissimum ab actione Vasorum absorbentium pendere, KIRKLAND monuit.

PARTUS SICCUS.

§. LXXIX.

Partus sicci, diffilis caussam in nimia liquoris amnii resorptione quaerendam esse, docte docetur a RUDOLPH *a*).

a) *Joh. Phil. Jul. Rudolph* Diss. de Partu sicco. Erlangae 1790. 8. §. 4.

FEBRIS PUERPERARUM.

§. LXXX.

Febris puerperarum vera est inflammatio viscerum abdominalium. Humor sive liquor in abdomen effusus nihil est aliud, nisi lympha coagulabilis in omnibus inflammationibus exhalans, quae proxime intestinis ac abdominis superficiei internae, vasorum lymphaticorum resorptione menstruo suo aquoso spoliata, ad hanc materiam caseiformem indurando abit *a*).

a) *M. Baillie* Anatomie des krankhaften Baues des menschlichen Koerpers, p. 211. Cap. XIX.

ANEURYSMA.

§. LXXXI.

Adeo actuosi conspiciuntur vasa absorbentia ad tollendum aneurysma, ut ligata arteria methodo Hunteri (v. c. poplitea) supra saccum aneurysmaticum iam altero die plus tertia parte volumen eius morbosum imminuant *a*).

a) E Home in Transactions of a Society for the Improvement of medical and chirurgical Knowledge. London 1793. articulo 9.

SCRIPTA

DE VASIS ABSORBENTIBUS EORUMQUE GLANDULIS, ORDINE CHRONOLOGICO ENUMERATA.

Praeter pauca, quae

1) Claudius Galenus, de usu partium Libro Quarto, Capit. 19. de Herophilo narrat; quae

2) Nicolaus Leonicenus, de Plinii et aliorum Medicorum erroribus 1509. de vasis absorbentibus Mesenterii suspicatur, quae

3) Nicolaus Massa, in libro introductorio Anatomiae, Venetiis 1536. 4.

4) Gabriel Fallopia, in observationibus anatomicis, libro de Venis, Venetiis 1561. 8. nec non

5) J. Costaeus, de Venarum mesaraicarum veteris opinionis confirmatione adversus eos, qui Chyli in iecur distributionem fieri negant per mesaraicas venas, Venetiis 1565. 4. et quae

6) Bartholomaeus Eustachius, in Libro de Vena azyga 1565. Opusculorum anatomicorum p. 280. circa Ductum thoracicum obiter sibi visum habet, et memoriae tradidit,

7) Caspar Asellius primus nominandus venit, qui die 22. Julii 1622. Vasa absorbentia revera detexit,

ansamque ulterius ea investigandi dedit. Descripsit inventa in Libro de Lactibus sive lacteis Venis, Mediolani 1627 4. recuso in Bibliotheca anatomica MANGETI Tomo Secundo.

Hos deinceps tempore exceperunt:

8) GUERNERUS ROLFINK, qui 1626. illa vidit, prouti memoriae prodidit in Dissertationibus anatomicis de Chylificatione et Circulatione sanguinis, Jenae 1632. 4. de Chylo et sanguine, Jenae 1652. 4. Jenae 1656. 4. recusis.

9) ADRIAN SPIEGELIUS, de humani Corporis Fabrica, Venetiis 1627. folio.

10) NICOLAUS CLAUDIUS FABRICIUS DE PEIRESCIUS, anno 1634. primum vasa absorbentia in homine ante suspendium bene pasto vidit, Autore PETRO GASSENDO in Vita eius viri Operum Tomo Quinto p. 307.

11) NICOLAUS TULPIUS (Autore WITTWER in BALDINGERI Medicinisches Journal, Stueck 13.) anno 1639. illa vidit.

12) CAELIUS FOLIUS, Sanguinis e dextro in sinistrum Cordis Ventriculum defluentis Via, cui non vulgaris in lacteas nuper patefactas Venas animadversio praeponitur, Venetiis 1639. 4.

13) J. WALAEUS, Epistola ad Thomam Bartholinum de Motu Chyli et Sanguinis, Leidae 1641. 8. recusa in MANGETI Bibliotheca anatomica.

14) JOHANNES VESLING, in Syntagmate anatomico, Pataviae 1641. et in Observationibus anatomicis etc. Hafniae 1664. 4. Tab. VIII. primam iconem vasorum absorbentium Hominis exhibuit.

15) PETRUS GASSENDI, de Philosophia Epicurea, Capite de Nutritione animalium, de Venis lacteis etc., Lugduni 1649. folio.

16) Mauritius Hofmann, Dissertatio de lacteis Venis oculatioris aevi decantatis, Altdorfii 1650. 4.

Idem, de Lactis ex Chylo statu tum naturali tum praeternaturali, Altdorfii 1673. 4.

17) Nicolaus Pecquet, experimenta nova anatomica, quibus incognitum Chyli Receptaculum et ab eo per Thoracem in Ramos usque subclavios vasa lactea deteguntur. Editio prima Parisiis 1651. Editio auctior Parisiis 1654. 4. cui accedit nova de Thoracis lacteis Venis Dissertatio, in qua Ioannis Riolani Responsio refutatur. Parisiis 1654. 4. recusa in Bibliotheca anatomica Mangeti Tomo Secundo.

Idem. Lettre à Mr. Carcavi touchant une nouvelle découverte de la Communication du Canal thorachique avec la Veine emulgente, 27. Mars 1667. et avec la Veine cave inferieure, en Memoires 1669. Tome X.

18) Nathanael Highmor, Corporis humani Disquisitio. Hagae Comitis 1651. folio.

19) Guilielm. Harvey, Exercitationes de generatione animalium, Londini 1651. 4.

20) Iolyffe, secundum Anglorum testimonium, anno 1652 vidit vasa absorbentia.

21) J. Maret, Abrégé des nouvelles Experiences anatomiques des Veines lactées etc. Toulouse 1652. 8.

22) Olaus Rudbeck, Disputatio de Circulo Sanguinis. Arosiae 1652. 4.

Idem. Exercitatio anatomica exhibens Ductus Hepatis aquosos et vasa Glandularum serosa, 1653.

Idem. De Sero Sanguinis eiusque vasis, Upsaliae 1661. 4.

Recusa reperiuntur duo ultima Opuscula tum in Hemsterhuysii Messi aurea, tum in Bibliotheca anatomica Mangetti Tomo Secundo, tum in Alberti

von Haller Disputationum anatomicarum selectarum Volumine Septimo.

23) Thomas Bartholinus, de Lacteis Thoracis, Hafniae 1652. 4.

Idem. Vasa lymphatica nuper in animalibus inventa, Hafniae 1653. 8.

Recusum opus in Bibliotheca anatomica Mangeti.

Idem. Vasa lymphatica in Homine inventa, Hafniae 1654. 4.

Idem. Opuscula nova de Lacteis Thoracis et lymphaticis Vasis. Hafniae 1670. 8.

Idem. De iisdem rebus in variis aliis Operibus verba fecit.

24) Ioannes van Horne, Novus Ductus Chyliferus nunc primum delineatus, Lugduni Batavorum 1652. 4.

